J. H. Busekist.

De

dicto Ebr. XIII. 8.

Kil., 1692.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

1,- 332.
DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 016181
+REX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

958

Q. F. F. S.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE DICTO EBR. XIII. 8.

Ἰησοῦς χριστὸς χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας.

Quam

ANNUENTE DEO TRINUNO,

IN CELEBERRIMA

CHRISTIAN-ALBERTINA,

PRÆSIDE

Viro Magnifico, Summe Reverendo, Amplisſimo atque Excellentisſimo,

DN. CHRISTIANO KORTHOLT

SS. Theologiæ Doctore, ejusdemque in illuſtri hac Academia Profesſore Publico, Primario, longe celeberrimo, Procancellario dignisſimo,

Dn. Patrono ac Præceptore ſummopere obſervando,

publicæ disquiſitioni ſiſtit

d. Aprilis, Anno M DC XCII.

AUTOR ET RESPONDENS

JOHANNES HENRICUS BUSEKIST

Raceburg. Saxo.

KILONI,

Typis Joach. Reumanni, Acad. Typogr.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

1.-
DET K
DA 1.-
1 1 01
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

עמנו אל

Πϱοίμιον.

QUæ in Eccleſia Jeſu Chriſti præterlapſo hoc tempore Quadrageſimali devotis meditationibus, ſolennibus ad populum Orationibus, hymnisque undiquaque perſonantibus materiam præbuere: eadem nobis theatrum diſputatorium ingresſuris animis non excidunt. An enim ulla ſuavior eſſe posſit cogitatio, quam de eo, quem Angeli adorant, Dæmones tremunt, & cui nos ob bona per ipſum parta, jubila canimus, meditationem inſtituere, merito ambigo. Quanto vero hæc meditatio jucundior, tanto Acheronticus ille ſerpens, & eorum, qui illius ſunt, in illa tollenda & averruncanda ſeu imminuenda eſt ſtudioſior. Placet ergo oraculo hoc Paulino ſtrophis nonnullorum obviam ire. Et quamvis illud præclarum ſit; multa breviſſime complectens, ac ferme per omnia Theologiæ capita ſe diffundens, tamen temporis habendo rationem, & ne contra leges brevitatis noſtra peccet diſputatio, nonnulla ſaltim ex illis hic ponderabimus, ita progresſuri, ut I. *Epiſtolæ hujus αὐθεντίαν probemus*, II. *Brevisſimam textus analyſin Grammaticam præmittamus*. III. *Sectionem Exegeticam ſubjungamus*, & IV. *Porismata ex textu fluentia adducamus.* Non equidem diffiteor, hanc longe ſublimiorem eſſe materiam, quam ut tenuiſſimis ingenii mei viribus attingere posſim: nolui tamen hoc propoſito ſuperſedere, planiſſime confidens, id ſi minus diligenter executus fuerim, L. B. mihi fore æquiorem. Propriis viribus nihil tribuere posſum, ſed omnia ne-

gotium

gotium hoc conficientia à ſapientiæ Oceano Deo T. O. M. ope Interceſſoris unici JESU CHRISTI impetranda ſpero.

Textus Originalis.

Ἰησοῦς Χριστὸς χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας.

Verſio B. D. Lutheri.

JEſus Chriſtus / geſtern und heute / und derſelbe auch in Ewigkeit.

Sectio I.

Epiſtolam hanc Apoſtolo Paulo ut γνησίῳ auctori vindicans.

§. 1.

NEgari non poteſt, dura fata epiſtolam hanc ad Hebræos poſt Apoſtolorum tempora ſuſtinuiſſe, aliis neſcio cui autori eam tribuentibus, aliis ex Canone prorſus eliminantibus. Quam ultimam ſententiam ambabus amplectuntur manibus hodierni *Photiniani*, quibus epiſtola hæc ob aſſertionem Deitatis Chriſti parum arridet.

§. 2. Ac quod olim dubitatum fuerit, num Epiſtola hæc genuinus Apoſtoli Pauli eſſet fœtus, conjecturæ partim atque ſuſpiciones, partim diſputandi modus ſublimis, ex quo non una multis Orthodoxis difficultas nata, heterodoxis vero abutendi occaſio arrepta eſt, in cauſa fuerunt. Inter alias quoque Conjecturas & ſuſpiciones hæc quoque non levis eſt, quod D. Paulus, teſtantibus ipſis ſacris literis, nec ipſo Apoſtolo diffitente, gentium Apoſtolus à Chriſto electus emiſſusque fuerit, eum itaque tam ad Hebræos quam ad gentiles ſcripſiſſe vix aſſenſum mereri queat. Tangit hanc objectionem in Præfatione Commentarii ſui in epiſtolam ad Hebræos *Johannes Chryſoſtomus*, celeberrimus Conſtantinopolitanorum Epiſcopus. *Beatus*, inquit, *Paulus ad Romanos ſcribens, dicit*; *Quatenus ego ſum gentium Apoſtolus diligenter miniſterio meo perfungor, ſi quo modo ad æmulandum provocem carnem meam.* *Et rurſum alibi:*

bi: Nam qui efficax fuit in Petro ad Apoſtolatum circumciſionis, efficax fuit & in me erga gentes. Si igitur gentium Apoſtolus erat: namque & in actis ad ipſum dicit Deus; Vade, quia ad gentes longinquas mittam te: quid ei negotii cum Hebræis fuit? aut cur etiam ad eos epiſtolam ſcripſit? Maxima ſuſpicio illa cepit augmenta, majoremque conjecturæ ſpeciem ex eo eſt aſſecuta, quod Apoſtolum Paulum non latuerit, Judæos, cum ipſi infenſi eſſent (eo quod defectionem à lege doceret, uti verba Jacobi ſonant) ægre verbis ejus locum daturos fidemque habituros eſſe. Quæ omnia aurei oris Rhetor *Chryſoſtomus* l. c. uberius perſequitur. Verum Apoſtoli Pauli eſſe, & quidem Græco idiomate exaratam, non ſolum maxima pars Veterum Doctorum, ſed etiam noſtri Theologi ferme omnes ſtatuunt. Vid. *B. Waltheri Officina Bibl.* pag. 1084. ſeq. *D. Gerhardus & Piſcator* in Comment. in hanc epiſtolam Prolegom; & qui ferias hac de re etiam diligentiſſime ſcripturis fecit Theologus & Philologus ſeculi noſtri celeberrimus *Dn. D. Sebaſt. Schmidius* in Comment. ſuper Epiſtol. ad Hebræos in Prolegom.

Sectio II.

Textus Analyſin proponens Grammaticam.

Ἰησοῦς) Derivationem hujus vocabuli Angelus ipſe expreſſit Matth. I. 21. αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν A ישע igitur vel ab הושיע, non יהוה & איש (vid: *Serar. in Joſ. fol.* 25 ſeq. *Gerb. Exeg. fol.* 1116.) derivationem petendam eſſe affirmamus, ut ישוע ſit abbreviatum ex יהושע, quam vocem οἱ LXX ſemper, quantum nobis memoria ſuggerit, per Ἰησοῦς reddunt. Ain igitur ex ſcriptione ejus cum infenſiſſimi Chriſti hoſtes Judæi (quando enim nomen Jeſu ſcribunt, non ſcribunt יהושע nec ישוע, ſed ישו ſimpliciter, idque per ſummum ſcelus, ut ſic maledictione & anathemate obliquo illum feriant, alludendo ad id, quod legitur Pſ. CIX. 13. & ſubintelligendo ימח שמו, ἐξαλειφθείη deleatur nomen ejus, pro ut ſæpe ſolent vel apprecationes, vel imprecationes & affectare & deſignare per alluſiones ſimiles. Vid. *Spanhemii Dub. Evang. P. I. pag.* 341.) omittant, minus recte agunt. Poſſumus etiam hoc loco

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

ex Gabrielis etymo Matth. l. c. corrigere opinionem Oſiandri, qui יִשַׁע reddi debere SALVANDUM potius quam SALVATOREM voluit. נוֹשָׁע illud Zach. IX. 9. huc non quadrat, nec Judæis patrocinatur. Si enim ſalvatus; non tamen ab aliena virtute, ſed ſuomet brachio ſalvatus fuit. Tandem etiam inter doctos diſceptari cœpit, an, audita prolatione nominis JEſu, caput detegendum ſit? Vide B. Danhaueri Hodoſophiam Chriſtianam Phænom. IIX, Hypomn. A. qui ex Philipp. II. 10. affirmativam tuetur ſententiam, ſic tamen ut moneat, p. m. 398. *Nomen Jeſu in ipſo cultu non eſt objectum terminationis, vel objectum reſpectivum ipſius cultus; ſed id, quo audito nos ferimur in agnitionem & cultum ipſius Perſonæ.* Admiratio autem ſubit animum, quare nonnulli *Calviniani* ſeu *Reformati*, qui tamen Principi ſuo, imo & amico familiari hunc honorem exhibent, audito JESU nomine caput aperire detrectent. Quæ inculta morum genera in ſociis, nomine Eccleſiæ Anglicanæ, idoneis argumentis caſtigavit *Joh. Durellus Eccleſiæ Anglicanæ Presbyter, Reg. Majeſt. à ſacris, in hiſtoria rituum Eccleſiæ Anglicanæ cap. 19. fol. 209. ſeq.* qui lectu hac in parte dignus eſt. Eſt vero JESUS ſanctisſimi Salvatoris noſtri nomen proprium (hoc enim ſe ipſum Apocal. XXII. v. 16. inſignit) ſicuti CHRISTUS appellativum eſt. Quæ duo propterea ita in ſacris conjunguntur literis, ut frequentius illud huic præmittatur: Chriſtus Jeſus autem non niſi tredecies fere (Rom. VI. 11. 28. IIX. 1. 2. 39. XVI. 3. 1. Cor. I. 2. 4. 30. IV. 15. XVI. 24. Gal. II. 4. 16.) inveniatur.

Χριςός) Idē eſt ac Hebræū מָשִׁיחַ Meſſias ſeu UNCTUS, quia oleo lætitiæ (Spir. S.) unctus eſt præ conſortib9 Pſ. XLV. 8. conf. Act. IV. 27. X. 38. Luc. IV. 18. Ungens divinitas, uncta humanitas, oleum unctionis Spiritus S. eſt. Unde Chriſti profeſſio totius Trinitatis confeſſio eſt. *Baſil. M. de Spir. S. Conf. Iren. l. 3. c. 6.* Præclare de hoc nomine *Auguſtinus tract. 7. in Johannem: Meſſias*, inquit, *Hebraice, Latine unctus, Græce Chriſtus eſt. Ab unctione enim dicitur Chriſtus. Chariſma unctio eſt Græce. Ergo Chriſtus unctus eſt: Ille ſingulariter unctus, præcipue unctus, unde omnes Chriſtiani unguntur. Et in Pſ. 44. tom. 8. Hoc nomen, quod appellatur Chriſtus, unctionis eſt. Unctus eſt nobis Deus, & miſſus eſt nobis, & ipſe Deus, ut ungeretur,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

retur, *homo erat* : *ſed ita homo erat*, *ut Deus eſſet*, *ita Deus erat*, *ut homo eſſe non dedignaretur* : *Verus homo*, *verus Deus*, *in nullo fallax*, *in nullo falſus*, *quia ubique verax* ; *ubique veritas Deus*, *ergo homo*, *& ideo unctus Deus*, *quia homo Deus & factus eſt Chriſtus*. Ab hoc CHRISTO nos (propter participatam unctionem de ejus plenitudine Joh. I. 16. licet κατὰ τὸ μέτρον Eph. IV. 7. non ut ille unctus eſt immenſe, ὀυκ ἐκ μέτρου Joh. III. 24. & quia ipſum tanquam caput noſtrum per baptiſmum & fidem induimus, & ipſe pro nobis crucifixus eſt, conf. I. Cor. I. 12.) Chriſtiani appellamur. Act. XI. 26. XXVI. 28. I. Petr. IV. 16. Quanquam enim inde ab Abrahamo omnes credentes fuerunt Chriſtiani, ut ſcribit *Euſebius lib.* 1. *Hiſt. Eccl. cap.* 1. *& Tertull. in Apologet.* attamen tunc Antiochiæ incipiebat eſſe communis titulus in Ecceleſia, tanquam perenni fonte ſumpto vocabulo, ut verba habent *Euſebii lib.* 2. *cap.* 3. Gentilibus, non quidem omnibus (*Tacitus* enim recte pronunciat in Annalibus l. XV. c. 44. 4.) dicebantur *Chreſtiani*. quemadmodum ipſe quoq; Chriſtus, *Chreſtus* ; ut videmus ex illo *Suetonii in T. Claudio c. XXVI. Judæos*, *impulſore Chreſto*, *aſſidue tumultuantes Roma expulit*. Error hic ignorantiæ adſcribendus, quam ipſis etiam *Tertullianus in Apolog. cap.* 3. objicit : *Perperam*, inquiens, *Chreſtianus pronunciatur à vobis*, *nam nec nominis notitia eſt penes vos*. Vid. Summe Reverendi Domini Præſidis tract. *de Perſecut.* pag. m. 4. & *Comment: in Juſtinum Martyrem* pag. m. 27. & *B. Dn. Durrii diſſert. de Chriſtiano* pag. 72. Reliqua nomina, quibus ſpurca Ethnicorum lingua ſplendorem Chriſtianum commaculabat, hic præterimus : legi poſſunt apud *B. Gerhardum in annot. ad Acta pag.* 439. *Magnif. Dn. Præſidem*, *Præceptorem ter quaterque deveneranduum in tract. de Calumniis Paganorum in Chriſtianos primævos*, & *Joſuam Arndtium Lexic. Antiq. Eccleſ. tit. Chriſtiani*. Vid. plura de hoc nomine apud *Dorſch. Pentad. D. II. §. 7. pag.* 73. *ſeq. & D. IV. §.* 13. *p.* 162. *ſeq.*

χθὲς) *Heri*, eſt Adverbium. *Homerus* hymn. in Mercur. χθὲς γενόμενος, ἁπαλοὶ δὲ πόδες &c. Pro eodẽ dicitur etiam ἐχθὲς *apud Theocr. Idyll.* 2. & 8. Multi ex Græcis Patribus, ut *Ambroſius* lib. V. de fide cap. 2. *Maximus* homil. 3. de Paſchate. *Anshelmus* h. l. *Bernhard*: in Feſto S. Martini, τὸ χθὲς accipiunt pro omni præterito : adeo-

 que

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

que omnem æternitatem ab ante, ut vocari ſolet, atque hinc divinitatem Chriſti adſtruunt.

καὶ) Cum hæc particula varias in S. Codice obtineat ſignificationes, & ſæpiſſime cardo totius controverſiæ ab unius particulæ & literæ genuina expoſitione dependeat, ut illud Ebræorum etiam hic locum invenire poſſit: *non eſſe ſcilicet vel unam in lege divina literam, à qua non magni dependeant montes*; ſcire hujus particulæ varias ſignificationes nobis perquam conducere judicamus. Eſt particula (α) *adverſativa*, Matth. XXI. 30. reſpondens ait: ego (abeo) Domine, καὶ, *ſed* non abiit. Vid. *Hackſpanii* P. IV. Notar. fol. 100. ad Matth. XVI. 19. (β) *Comparativa* Joh. V. 17. Pater operatur, & ego operor. Conf. *Gerhardi Harmon.* cap. CLXXVI. fol. 1318. a. b. (γ) *particula temporis* eſt Marc. XI. 22. καὶ *tunc* reſpondit Jeſus. Conf. Matth. IX. 7. quomodo etiam (præſertim in libris hiſtoricis) ו pro אז *tunc*, accipitur. Joſ. IV. 18. poſtquam Sacerdotes venerunt in ſiccum וישבו & id eſt, *tunc* reverſæ ſunt aquæ. Vid. v. 21. ſeq. (δ) *Rationativum* καὶ eſt Gal. IV. 7. quod ſi filius, καὶ *igitur* etiam hæres Dei per Chriſtum: uti ו Ebræorum Pſ. XIIX. 47. alibi. Conf. *Bezam ad* I Cor. XII. 26. Col. I. 25. (ε) *Intenſivum & Emphaticum* eſt, latentem quandam vim afferens orationi, & vehementem exprimens affectum Joh. XVII. 25. Pater juſte καὶ & mundus te non cognovit. Pluribus exemplis adducendis non immorabor, ne nimis prolixus ſim. Hoc in loco ſenſū obtinet copulativū.

Σήμερον) *Hodie*, Atticis Τήμερον audit, imo & Τήμερα. *Ariſtoph. Nub.* Οἵαν δίκην τοῖς κόρεσι δώσω τήμερα. Wie werden mich heute die Wanzen zubeiſſen! Deducitur ex ἡμέρα *dies*: ſic ut *hodie* ſit quaſi *hoc die*. Non autem de die artificiali tantum dicitur; ſed & adhibetur de toto die naturali, noctem cum die artificiali comprehendente. Matth. 27. 13. Πολλὰ γὰρ ἔπαθον σήμερον κατ' ὄναρ δι' αὐτόν. Ubi certe nox, eum diem artificialem, quo Jeſus Pilato ſiſtebatur, antegreſſa intelligitur, quæ pars erat diei naturalis, Judæis à veſpera præcedente inchoati, & uſque rurſus ad veſperam continuati. Et Marc. 14. 30 expreſſe fit mentio noctis; Σήμερον ἐν τῇ νυκτὶ ταύτῃ. Germani tamen diſtinguunt, & de die artificiali heute; de nocte heinte adhibent. Proprie adverbiali ſenſu uſurpatur,

tur, ut Matth. 6, 11. Marc. 14, 30. & quam plurimis in locis aliis. Nonnunquam tamen articulo fœminini generis veſtitum, nominali & adjectivo ſenſu, cum nomine ἡμέρας, Act. 20, 26. Rom. XI. 8. Interdum etiam nomine ἡμέρα disſimulato, ut μέχει τὸ σήμερον, Matth. 11. v. 23, 28. 15. 2. Cor. 3, 15. Matth. 27. 8. Quin & articulus interdum disſimulatur, ut Ἀλλ' ἕως σήμερον 2. Cor. 3. 15. pro ἕως τὸ σήμερον. Juvenitur etiam neutro, Τό σήμερον, hodiernus dies, ſub audito ἥμαρ, aut ſimili. Vid. *Eraſmi Schmidii Annot. in N. T.* & quidem ad cap. VI. Matthæi verſ. 30. pag. 134. Ubi notamus, injuſte agere *Smaltzium*, quando contra *Franzium* pag. 89. locum hunc ita exponit, ut τὸ *heri* de tempore paulo ante elapſo, *hodie* de præſenti, & *in ſecula* de futuro exponat, hoc ſenſu: Chriſtus non ita pridem cœpit, eſt tamen nunc, & futurus erit in ſeculum. Et ut huic expoſitioni colorem quærat, accommodat huc locum Exod. IV, 10. *Non eloquens ſum ab heri & nudius tertius.* Verum ibi ſermo non eſt de tempore proxime præcedente, ſed de tempore multis jam annis elapſo. Confirmat hanc expoſitionem locus 2. Sam. III. 17. ubi phraſis illa latius ſumitur, quam de tempore proxime præcedente; adeoque nulla nos cogit neceſſitas deſerendi acceptionem de tempore longe præcedente; præſertim cum Sociniana hac expoſitione elegans illa gradatio, quæ in verbis Moſis continetur, exſpiraret. Vide *Hackſpanii Notar. Philolog.* P. I. pag. 293. & P. II. pag. 326. ſeq.

Ὁ αὐτὸς) Αὐτὸς modo Demonſtrativum, modo Relativum pronomen eſt: ut & apud Latinos *Ipſe.* Quando autem articulus ei præfigitur ſignificat *Idem*, ut hoc loco, & alibi paſſim.

Εἰς) Particula hæc apud Græcos pro περὶ de uſurpatur, ut videre eſt Act. 2. v. 25. David enim dicit Εἰς αὐτὸν, hoc eſt ut Syrus exponit, *de eo*, & Eph. 5. 32. Εἰς χριστὸν καὶ εἰς τὴν Ἐκκλησιάν, hoc eſt, ut Syrus reddit, *de Chriſto, & de Eccleſia ipſius.* Hoc loco valet *In.* Vid. *Scapulæ Lexicon Græco-Latin.* pag. 439.

Τοὺς) Eſt accuſativus pluralis; deſcendens ab articulo præpoſitivo Ὅς, ἥ, ὅ.

Αἰῶνας) Eſt Accuſativus pluralis; cujus nomen ſingulare eſt ὁ Αἰών, I. Eſt *æternitas, ævum*, ἀπὸ τῶν αἰὲν εἶναι, vel ἀεὶ εἶναι, ut exponit Ariſtoteles I. de Cœlo, 9. Hinc ἀπ' αἰῶνος *ab æterno*, Act.

3. 21.

3.21. & 15. 19. Et in plurali, εἰς αἰῶνα, *in æternum*, Marc. 3. 29. Et pluraliter εἰς αἰῶνας Rom. I. 25. II. *Mundus* Matth. 13 39. ὁ δὲ θερισμός, συντέλεια τοῦ αἰῶνός ἐστιν, Luther: das Ende der Welt. Tametſi etiam poſſet tempus, & in ſpecie tempus durationis mundi, intelligi. Quandoquidem poſt hanc συντέλειαν τοῦ αἰῶνος, nullum porro tempus erit, ſed æternitas. Apoc. X. 6. Et cognata eſt ſignificatio ſequens *de ſeculo.* Sic Luc. 20. 34. & alibi paſſim. Hoc enim III. ſignificat I. Cor. II. 7. ἣν (σοφίαν Θεοῦ) προώρισεν ὁ Θεὸς πρὸ τῶν αἰώνων, ante ſecula, conf. I Cor. X. 11. IV. In ſpecie *D. Hieronymus* ad finem 26. cap. Ezechielis annotare ſcribitur, τὸν αἰῶνα notare ſeculum LXX. annis definitum. Verum Hieronymus, ſi recte ipſius textum intueamur, id proprie ibi non affirmat. Hæc videlicet ejus ſunt verba: Ἀιὼν *unum ſeculum ſignificat.-- Ajunt autem, unum ſeculum, humanæ tempus ætatis, ſeptuaginta annorum numero ſupputari, Pſalmiſta dicente: Dies annorum, in ipſis ſeptuaginta anni: ſin autem in potentatibus, octoginta anni &c.* Pſ. XC, 11. Unde patet, nihil diverſi heic tradere doctiſſimum Patrem a receptiſſimo illo ſignificatu, quo Ὁ αἰών etiam ſignificat *vitam hominis vel tempus vitæ hominis.* (*Herodot. Callio*: τελευτῆσαι τὸν αἰῶνα, finire vitam ſeu tempus vitæ) ſed ſolum id obſervare, quod ordinarium humanæ ætatis tempus 70. annorum numero a quibusdam circumſcribatur V. Cognata ſignificatione etiam *animam* notat, ut *Eurip.* Philoctete, (uti Stephanus allegat) Ἀπέπνευσεν αἰῶνα; Efflavit animam. Vid. *Eraſmi Schmidii* Annot. in N. T. pag. 198. ſeq. & 694. ſeq. Hoc loco uſurpatur *de abſoluta æternitate*, ſignificatque eam, quæ appellatur *Æternitas à poſt*, quæ ſcilicet mundi finem cogitatur ſecutura. Dicimus, *cogitatur*, quia nos non poſſumus æternitatem aliter concipere, quam cum quodam præteriti, præſentis & futuri perpetua ſucceſſione, quamvis ipſa in ſe & formaliter conſiderata omnem temporis ſucceſſionem excludat. Ita futura vita, quæ intermina eſt, & principium habens fine caret, vocatur (ὁ αἰὼν ἐκεῖνος) *illud ſeculum*, Luc. XX. 35. *Vid. Feſſelii Adverſar. ſacr.* lib. 3. cap. 2. pag. 223. ſeq. Et plura huc pertinentia apud *Spanhemium P. II. Dub. Evangel.* pag. 437. *Meiſnerum part. I. Philoſ. ſobr.* ſect. I. c. 4. qu. 8. p. 268. & *Theodoricum Hackſpanium* in terminis,

distin-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

diſtinctionibus & diviſionibus Philoſophico Theologicis à *Joh. Conrado Dürrio* editis pag. 553. ſeq.

Sectio Exegetica.

Ex præcedenti Vocum σκέψει Grammatica ac Philologica hæc textus noſtri plenior Paraphraſis pro ſenſu literali inſtitui poteſt. IESUS CHRISTUS (in quem Doctores veſtri, qui locuti ſunt vobis ſermonem Dei, crediderunt) *heri* (id eſt, primo mundi die, in quo χθὲς *heri* non potuit eſſe niſi æternitas) *&* *hodie* (tempore præſenti) *& in ſecula* (tempore futuro) *idem* (id eſt, immutabilis eſt veritatis. Propterea; etiam fides veſtra ſemper fixa in eum manere debet, neque variis & peregrinis doctrinis circumferri debetis.) Obſervandum hic ſubjectum & prædicatum; ſubjectum ſancti hujus Aphoriſmi eſt *JEſus Chriſtus*; Prædicatum eſt, *heri & hodie, idem & in ſecula.* In quo duo aſſeruntur, 1. quid ſit JEſus Chriſtus, 2. quamdiu id, quod eſſe dicitur, ſit. Nominatur in h. t. (א) ὁ αὐτὸς, quod vocabulum præſtantiſſimam ac ſingulariſſimam excellentiam Sanctiſſimo Salvatori tribuit. Ita enim eſt αὐτὸς, ut ſit ſummo & eminentiſſimo modo αὐτὸς, & quidem reſpectu *ſummæ immutabilitatis, perfectæ æternitatis, perpetuæ immortalitatis, vitæ eſſentialis, infinitæ potentiæ, bonitatis immenſæ, ſatisfactionis æternæ.* (ב) Dicitur χθὲς καὶ σήμερον καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας, quibus vocibus *omnes durationis differentias, præteritum, præſens, futurum* complectentibus, non *finitam*, ſed *infinitam* durationem, non tempus ſed æternitatem Apoſtolus inſinuat. Per τὸ fuiſſe χθὲς καὶ σήμερον, *omnis hoc loco durationis initium negat, per voculam* εἰς τοὺς αἰῶνας, *æternitatem à parte poſt deſignat.* Adeoque illa vocabulorum durationem explicantium coacervatione (χθὲς καὶ σήμερον, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας) omnino ſingulariſſima duratio aliqua, imo mera æternitas exprimitur. Vid. hanc in rem tract. *B. D. Dorſchei de æterna JEſu Chriſti majeſtate.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

Sectio IV.
Porismata ex textu educens.
Poriſma I.
Jeſus Chriſtus verus eſt & æternus Deus.

ETſi Chriſtianis optandum eſſet, æternum latuiſſe Pauli Samoſateni, Arii, Macedonii, Photini & Pelagii Scoti impia dogmata, queîs SS. Trinitatis myſterium, gloriam Chriſti, hoc eſt divinam ejus naturam, ac ſumma nobis acquiſita beneficia aut impugnarunt, aut abnegarunt: tamen cum ſuperiori ſeculo Lælius & Fauſtus Socini doctrinam eorum diu damnatam reſuſcitare, ac longe lateque propagare clam palamve moliti ſunt; (*Vid. Zanchius præfatione libri de tribus Elohim, & Calvinus in epiſtola ad Lælium Socinum*) noſtrorum eſt, iſtius ſurfuris ſcriptorum ſophiſmata attentis oculis perluſtrare, & idoneis argumentis expugnatum ac debellatum ire. Inter alia autem argumenta, quibus à Bellarmino & Wiekō divinitas & æternitas Chriſti probatur, eſt illud etiam ex Heb. XIII. v. 8. *Jeſus Chriſtus heri & hodie, idem & in ſecula*: id eſt (ut Bellarminus exponit) ſemper fuit, ſemper eſt, & ſemper erit: quod in Apocalypſi cap. 1. v. 4. & 8. cap. 4. v. 8. & cap. 11. ſæpiſſime repetitur, *Qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt.* Si terminos Syllogiſmo includere placet, formula argumentandi ita forſan concipi poſſet: Qui heri & hodie, & in ſecula idem eſt, is eſt æternus & immutabilis, & per conſequens verus Deus. Chriſtus eſt talis; quod patet ex Heb. XIII. v. 8. Apoc. I. v. 4. & 8. cap. 4. v. 8. cap. 11. v. 17. Ergo. Opponit ſe huic argumento infauſtus ille *Fauſtus Socinus*, in refutatione, abſque autoris nomine Racoviæ primum Polonice, deinde Latine edita, qua refellere conatus eſt, quæ de Divinitate Filii & Spiritus S. *Robertus Bellarminus T. I. Controverſia 2. generalis, libro primo, & Jacobus Wiekus* Jeſuita peculiari libello tradunt, ita ſcribens: Tertius locus eſt in epiſt. ad Hebr. cap. 13. v. 8. *Atque hæc de Chriſto verba non poſſunt ullo pacto ejus æternitatem ſignificare, niſi fortaſſe à parte poſt, propter illud* in ſecula; *imo à parte ante voces illæ*, heri & hodie, *indicant potius, ipſum non admodum diu exſtitiſſe, licet perpetuitatem, ex quo exſtitit, declarent. Senſus enim*

eſt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

eſt, Chriſtum, id eſt, Chriſti doctrinam (de ea ſiquidem ibi manifeſte agitur, non de ipſa Chriſti perſona) ex quo cæpit, nunquam defuiſſe, nec in poſterum deſituram: non autem, ut adverſarii parum conſulte affirmant, Chriſtum, id eſt, ipſam Chriſti perſonam, ſemper fuiſſe, & ſemper eſſe, & ſemper futuram. Conjungunt cum hoc loco (Bellarminus nempe & Wiekus) *verba illa in Apocal. repetita:* Qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt. *Sed jam ipſorum audacia atque adeo confidentia, in iſtis verbis ad Chriſtum referendis, ſatis à nobis patefacta eſt, dum reſpondimus ad ſextum argumentum primæ claſſis.* Reſp. (α) Prius diſtinguendo. Verba enim illa proprie non ſignificare poſſe æternitatem, concedimus, cum ſint deſumpta à temporum intervallis, quæ nullum in æternitate reperire poſſunt locum: Vid. *Keſleri Phyſ. Photin.* Sect. I. Princip. 9. pag. m. 122. ſeq. improprie autem eis æternitatem deſignari, ſi conjunctim omnia ſumantur, aſſerimus. De vocibus *heri & hodie*, quod brevitatem ſive novitatem potius, quam perpetuitatem notent, itidem largimur, in propria eorum ſignificatione, non autem in impropria: & Chriſti doctrina non eſt ipſius ut hominis, ſed Patris, Joh. 7. v. *16.* & Evangelium ejusdem eſt æternum. (β) Poſterius invertendo. Si enim doctrina Chriſti, quæ una eſt ipſius & Patris, ut jam ex Evangeliſta Johanne audivimus, eſt æterna, ipſe quoque eſt æternus. Unde nobis nihil obſtat, quod locus primario de doctrina Chriſti agat: ex eo enim conſequitur, perſonam, cujus eſt ea doctrina, non ut miniſtri, ſed ut Domini & auctoris primarii, eſſe æternam. Vid. *Paulus Tarnovius de SS. Trinitate cap. 3. claſſ. I. arg. 6. reſp. pag. 180. ſeq. & cap. 7. claſſ. 5. pag. 844. & deſideratiſſimi Præceptoris Quenſtedtii Syſtema P. I. Cap. 8. de Attributis divinis ſect. 2. qu. 7. pag. 311.*

II. Deitas Filii eſt gloriæ & ſplendoris immutabilis.

ANtitheſin fovent hic *Calviniani* (quod nomen valde repudiant, & potius *Reformati* audire volunt. vid. *Maſſonium P. IV. Anatom. cap.* 41. ita ut in titulis *Inſtitutionum Calvini* germanice verſarum Heerbornæ anno 1586. dicatur: ipſum diabolum iſtam doctrinam hodie vocare Calvinianam) plures, qui ſentiunt (1) Chriſtum ſecun-

dum utramque naturam exinanitum eſſe, occultatione gloriæ ſuæ, ita ut ſecundum utramque naturam & Patre & ſe ipſo κατ' οἰκονομίαν minor factus ſit. Sic *Voetius Tom. II. Diſput. ſelect. pag.* 267. & alii ibidem citati. (2) qui dona infinita non naturæ alterutri, ſed perſonæ ipſius in tempore conceſſa dicunt, ut *Trelcatius & Sadeel.* apud *Gerh. Exegeſ. de Perſona Chriſti* §. 208. Nos autem affirmativam hic tuemur, nixi ſeq. rationibus: Quia (α) Regnum ſceptrumque ejus durat ab æterno in æternum, Ebr. I. 6. (β) Chriſtus etiam in ſtatu Exinanitionis communem ſibi cum Patre operationem vindicat, Joh. V. 17. ejusque gloria in ſtatu eo tanquam unigeniti a Deo Filii viſa eſt, Joh. I. 14 Objiciunt: *Officium Mediatoris, quod Chriſtus ſecundum utramque naturam geſſit, eſſe divinitate inferius.* Reſp. hypotheſin negando, cum mediator quis eſſe poſſit etiam apud parem, imo & inferiorem, idque ipſum autoritatem Regii ſplendoris non imminuat, uti exempla Politica docent. Deinde Chriſtus etiamnum eſt mediator, quia Sacerdos in æternum, Ebr. VII. 21. 24. & Advocatus apud Deum, I Joh. II. 1. unde ſequeretur, eum hodieque exinanitum eſſe; quod abſurdum. Objiciunt porro: *Chriſtum repetere manifeſtationem gloriæ, quam habuit, Joh. XVII. 5. E. aliquandiu abdicatam.* Reſpondemus: Quærit Chriſtus glorificationem ſui apud Patrem; Ergo non gloriæ manifeſtationem. Quærit glorificationem reciprocam, v. 1. Ergo præciſe non abdicatam, cum Pater utique non fuerit exinanitus. Et petit tantum, quod abdicaverat; eum vero glorificationem non ſecundum divinam, ſed humanam naturam petere in propatulo eſt.

III. Chriſtus etiam in V. T. fuit invocatus.

S*Chmalzius in Catech. Racov. c. I. de Officiis Chriſt. fol.* 164. *item de divinitate JEſu Chriſti c. V. fol.* 19. *ſeq. Volkel. L. IV. de V. R. c. X. de adoratione & cap. XI. de invocatione Chriſti*; ut obtineant, Chriſtum novum Legislatorem eſſe, urgent: *De Chriſto ipſo vel Deo per Chriſtum invocando nihil in V. T. contineri. Hunc novum colendi modum Chriſtum primo præcepto addidiſſe.* Sed proponimus ipſis hoc argumentum diſcutiendum. Cuicunque nomen ſummi Dei convenit, ille in V. T. invocari debuit. Atqui Chriſto. E. Major ab

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

ab ipſis Socinianis conceditur. Minorem probamus, quia (α) Chriſto competunt ſumma Dei nomina, Jer. XXIII. 6. XXXIII. 15. (β) ſummi Dei attributa ; Divina majeſtas, Luc. I. 32. æternitas, Mich. V. 2. Prov. IIX. 2. & Ebr. XIII. 8. (γ) Summi Dei opera, Creatio, Joh. I. 3. 10. Conſervatio, Ebr. I. 3. Et falſum eſt, quod ajunt Sociniani, nullum præceptum de Chriſto invocando in V. T. exſtare. Paulus enim expreſſe genuflexionem, Chriſto Phil. II. 10. debitam, Rom. XIV. 11. ex Jeſ. XLV. 23. oſtendit. Conf. Pſ. II. 12. Joel. II. 32. & Rom. X. 13. coll. cum 9. ſeq. Fideles autem quando Chriſtum religioſe invocarunt Gen. XLIIX. 16. conf. Exod. XXIII. 21. Jeſ. LXIII. 9. quis crederet, illos absque præcepto hoc feciſſe ? cum invocatio religioſa absque verbo idololatria ſit, Rom. X. 14. Imo dum JEſus Chriſtus ut mediator etiam ad V. T. pertinuit, Joh. XIV. 16. 1 Tim. II. 5. Act. XV. 11. Ebr. XIII. 8. Deus etiam in V. T. per Chriſtum cultus fuit, Dan. IX. 17. Vid. poſt alios *Cloppenburg. Anti-Smalz. fol. 120. Hornbeck Socin. Conf. T. II. fol. 446. ſeq. Scherzerus Colleg. Anti-Socin. Diſp. XL. pag. 368.* Siquidem & fideles V. T. myſterium SS. Trinitatis probe cognoſcebant, utpote in S. literis clare revelatum. Quicquid etiam hic ogganniant nobis nonnulli Romanæ ſedis Paraſiti, ut *Guilielm. Lindanus l. 3 Panopl. c. 5. Poſſev. l. 8. Bibl. c. 14. Vega in oppugn. Dei Samoſ. p. 10. Franc. Fevard. l. 15. Theom. Calvin. p. 227. Eccius, Piſtorius, Cochlæus, Stapleton apud Gerh. l. 2. Conf. Cath. art. 2. p. 396. & in Exeg. L. 3. §. 19.* qui defendunt, myſterium hoc non poſſe ſufficienter ex divinis oraculis oſtendi. Hinc & ad illorum conſenſum provocant *Oſtorod. Contr. Tradel. P. 2. c. 1. p. 86. Socin. in defenſ. animadverſ. contra Eutrop. c. 3. Schmalz. D. 1. contra Franz p. 1. Schlicht. in def. qu. 4. C. Meiſn. p. 139. Stoienski in relat. diſput. ſuæ cum Joh. Maria p. 19. 20.* Verum myſterium hoc in S. Scriptura irrefragabiliter contineri, & Patribus etiam V. T. innotuiſſe, plurimi ſatis probarunt, inque illis *Gerh. Exeg. L. 3. §. 63. Chemnit. P. I. LL. p. 79. ſ. Scherz. Coll. Anti Socin. p. 72. ſeq. 219. ſeq. Danh. P. 4. Lact. Catech. p. 256. ſ. Id. Hodoſ. p. 262. ſ. Walth. Poſt. Proph. p. 640. ſ. Calov. Socin. profl. p. 164. ſ. 167. ſ. Id. T. I. Syſt. p. 754. T. 3 p. 7. 40. 75. 115. ſ. Krom. Theol. poſ. polem. p. 146. ſ. 157. ſ. Helvic. T. 4. D. Giſſ. X. p. 201. ſ. Muller. Judaiſm. l. 3. c. 4.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

Siric. dec. diſp. Theol. p. 116. &c. ſecus ac ſtatuunt plures Pontificii, qui negant, Patribus V. T. Trinitatis myſterium fuiſſe revelatum. Aliquot ex iis laudat *Hackſp. P. I. Not. Philol. p.* 317. cum quibus conf. *Becan, in Anal. V. T. c. 2. q. 2. & 3.* Sic & *Drexel. P. I. Roſ. ſel. c. 4. §. 1. p.* 72. ceu peculiare quid de Maria memorat, quod Trinitatis cognitione fuerit imbuta; inquiens, *Beatiſſima Domini mater, altiſſima credidit myſteria. Divinæ Triados arcanum naturæ Lex ignorabat: Lex Moſis vix quicquam de eo ſciebat. At virgo ex Vatum oraculis, & Angeli verbis Patrem & Filium nominantis (hic erit Altiſſimi filius) & addentis (Spiritus S. ſuperveniet in Te) ſublime illud myſterium accepit & credidit, idque eo tempore cum Evangelium nondum promulgatum.*

IV. Chriſtus Mediator non fuit in N. T. novus Legiſlator.

IMpia Socini cohors, Chriſtum mediatorem legem moralem novis præceptis adauxiſſe & perfectiorem reddidiſſe, ſtatuit, ut evincat, Legis Moſaicæ juſtitia, utpote imperfecta & adumbrata, neminem quidem juſtificari potuiſſe; at nunc in N. T. juſtificari poſſe hominem ex operibus legis perfectioris & plane ſpiritualis, quam Chriſtus ipſe, corrigens & perficiens Moſen, tulerit. Ac proinde poſt legem Chriſti perfectiſſimam nihil obſtare amplius, quo minus homo per opera legis Chriſti perfectiſſimæ, ſine interventu veri λύτρȣ & ſatisfactionis Chriſti, juſtificari poſſit. Et quidem ut obtineant, legem veterem non eſſe ratione præceptorum perfectam, ſcribit *Socinus ad articulos Cutheni theſi X. Lex Chriſti nihil aliud fuit, quam complementum ac perfectio Moſaicæ legis. Quia eſt complementum & perfectio Legis Moſaicæ, ſine dubio ipſa lege Moſaica eſt perfectior. Conf. Volkel. l. 4. d. V. R. c. V. & Schlichting. de SS. Trinit. contra Meiſn. art. IV. fol. 699. ſeq.* Porro Legem nec ratione PROMISSORUM perfectam eſſe, probare conantur. *Ex eo,* inquit, *Smalzius D. VII. c. Franz. fol. 220. quod Chriſtus eſt mediator fœderis melioris colligimus, vitam æternam ante Chriſtum nemini promiſſam fuiſſe. Vitam æternam negamus unquam alicui promiſſam fuiſſe, nec ipſa etiam lege Moſis aperte & manifeſte. Non negamus*

gamus autem, omnes pios, qui ante Chriſtum vixerunt, vitam æternam conſecutos. Poteſt enim Deus plus dare, quam promiſit. Nec negamus, potuiſſe homines ſperare vitam æternam, etiamſi eis promiſſa non fuerit. Exſtabant enim quædam, quæ ſpem ipſis excitare poterant. Verum laterem lavant Sociniani, cum ipſæ S. literæ perfectionem legis divinæ probent (α) quoad *præcepta*, Pſ. XIX. Lex Domini eſt תמימה *perfecta*, nullo laborans defectu, nullarum additionum indiga, & Joh. I. 17. *Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per JEſum Chriſtum facta eſt.* Ubi legis datio & promulgatio in plena oppoſitione Moſi tribuitur, & per conſequens Chriſto in officio Mediatorio ſpectato adimitur. (β) quoad *promiſſa.* Veteres enim in V. T. vitæ æternæ promiſſa habuiſſe, probat ipſius Chriſti teſtimonium: *Scrutamini Scripturas. Putatis enim vos in iis habere vitam æternam, & iſtæ ſunt, quæ de me teſtantur,* Joh. V. 39. conf. Matth. XIX. 16.17. Luc. XIIX. 18. 20. ubi Chriſtus aperte profitetur, vitam æternam in Lege promiſſam eſſe. Ad quæſtionem enim: quomodo conſequar vitam æternam? id unum Luc. XIIX. 20. τὰς ἐντολὰς οἶδας, *præcepta noſti,* reſpondit. At ſi Socinianorum hæreſi imbutus fuiſſet conſulens ille Princeps, regerendum ipſi fuiſſet: præcepta nihil ad me, cum in iis de vita æterna ne γρῦ quidem habeatur. Vid. de Socinianorum mente & objectionibus uberius *Scherzeri Coll. Anti-Soc. D. 39. p. 324. Feurb. D. 22. Antioſt.* §. 18. *p. 347. ſ. Schmalz. Vind. C. Franz. D. 8. §. 31. ſ. Brochm. T. 3. Syſt. p. 70. Stegm. D. 18. Photin. p. 199. ſ. Calov. Bibl. Illuſtr. in Matth. p. 196. b. ſ. Gerh. T. 3. LL. de Evangel. §. 65.* &c. de Arminianis, *Calov. Conſid. Arminianiſmi cap. 12. & 13. à pag. 311. usque 335.* Chriſtum cœteroquin novum Legislatorem eſſe, ſuo modo (dum *Legis* vox ſeu תורה generaliter ſumitur pro quavis doctrina divina) recte aſſeritur contra Judæos, negantes, Meſſiæ competere, novum doctrinæ genus proponere. Vid. *Helvic. T. 4. Gieſ. D. 6. p. 125. ſ.* Sed inde non eſt dicendus à Lege preſſe accepta novus Legislator Chriſtus. In quam ſententiam ita detonat Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 21. *Si quis dixerit, Chriſtum JEſum à Deo hominibus datum fuiſſe, ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant, anathema ſit.* Quamvis nec abſolute negemus, Chriſtum eſſe Legislatorem,

quem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

quem omnino incluſum volumus, cum Jac. c. IV. 12. ſcribit: εἷς ἐστιν ὁ νομοθέτης; nec quenquam ab obedientia Chriſti omnibus commendanda retrahamus. Socinianorum veſtigia hac in parte legunt ipſimet Pontificii. Ita enim *Bellarm. l. 4 de Juſtif. c. 3. §. ult. T. 4. Controv. p. 257. a. Perfecit Dominus legem moralem, non ſolum explicando & addendo, ſed etiam adjiciendo conſilia quædam &c.* Quæ conſilia videre licet ap. *Bellarm. l. 2. de Monach. c. 7. ſequ. T. 2. Controv. p. 336. b. ſ. Corn. à Lap. Proœm. in Evang. p. 25. ſ. &c. Sic & Becan. Theol. Scholaſt. de Lege c. 5. q. 1. Instituit*, inquit, *novam legem ad Chriſtianos pertinentem &c. Auxit autem legem veterem triplici præceptorum genere &c. Conf. Thom. in Summ.* I. 2. *q?* 91. *art.* 5. *& q?* 108. *art.* 4. quem dum nomino, infinitos commentatores inſinuo. *Vid. quoque Barrad. l. 2. Conc. Evang. c. 10 Maldon. ad Matth. c. 5. 21. p. 116. 117. 118. Corn. à Lap. in Matth. p. 335. a. &c.* Cum tamen Chriſtus tantum legem à fermento Phariſæorum purgarit, atque ad genuinum Moſis ſenſum expoſuerit, uti officium ejus Propheticum poſtulabat, conf. Mal. III. 2. 3. & vid. *Tarnov. in h. l. p. 70. 71.* quod in tantum verum plenariæ Legis Moſaicæ intellectum urget, conf. *Gerh. T. 3. LL. de Lege §. 13. Danh. P. 1. Hodom. Sp. Pap. p. 1034. Calov. T. 7. Syſt. p. 486. &c.* in quantum Evangelio, cui officium Chriſti primario erat dedicatum, ad viam præparandam inſervit. Vid. Joh. I. 17. & conf. *Chemn. Harm. Evang. c. 20. p. 198. a. Oſiand. ad Grot. de I. B. & P. p. 96. Glaſſ. Doctr. Moſ. p. 677. &c.*

V. Jeſus Chriſtus in Eccefia ſua conſervanda immutabilis eſt,

SAnctiſſimum noſtrum Servatorem de Conſervanda Eccleſia eſſe ſollicitum, eo minus dubitare fas eſt, quo certius conſtat, Chriſtum ſuo ſanguine ſibi Eccleſiam paraſſe, Act. XX. 28. 1. Cor. VI. 20. Chriſtumque eſſe Eccleſiæ caput, Hoſ. I. 11. 1. Cor. XI. 3. Eph. I. 22. Poſſemus hic totam hiſtoriam Eccleſiaſticam tam V. quam N. T. percurrere, atque CURAM CHRISTI CONSERVATRICEM pro Eccleſia oſtendere, niſi brevitati ſtuderemus. Vid. *Calovii Theol. Poſitiv.* L. de Eccleſia pag. m. 388. ſeq. Pauca tamen ex his delibaſſe, haud injucundum erit. Adamum atque Evam, initia Eccleſiæ, in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

ipſa quaſi herba Diabolus oppreſſerat. At conſervavit, reſtituit, ſtabilivit, firmavitque Deus, Gen. III. 14. 15. Quomodo ille non Eccleſiam ex omnium mundum tunc incolentium numero diluvie tempore ſervavit? Erant jam tum omnis generis & conditionis in orbe homines: erant, quos potentia, ſcientia rei militaris, virtus autoritas, & fortuna illuſtres, magnos, metuendos effecerat: Erant Philoſophi, Oratores, Artifices, & quicquid in utroque ſexu, vel natalibus, vel ingenio, vel forma viribusque æſtimatur. Sed qui undas evaderent, ſoli fideles atque ſancti, hoc eſt, una ECCLESIA, electa eſt. Quod poſtero tempore Eccleſia Ægyptum, quod vaſtisſimas Arabum ſolitudines, quod tot in itinere, mediaque jam Canaнæa hoſtes evaſit, illisque territis, funditus exciſis, Sacra ſua, Remque publicam conſtituit, tentatamque toties novis bellis defendit, propagavit, illuſtriorem reddidit, & nullis terris denique ignotum eſſe DEUM permiſit; id Chriſti ipſius Conſervatoris maximum munus fuit. Cum Arca fœderis eſſet ablata, eam reſtituit 1. Sam. IV. 11. cumque ab Hieroboamo improbo Cive vituli aurei ſtatuti eſſent 1. Reg. XII. 27. conſervatrix Dei cura pro Eccleſia, ne quid detrimenti caperet, vigilavit. Noctem illam, qua ab Antiocho Epiphane inprimis dira pati, templo pelli & ad infanda ſacra adigi cœpit, feliciter diſpulit.

In N. T. cum Eccleſia ad paucos eſſet redacta, Zachariam & Eliſabetham, Divam Virginem & Joſephum ſponſum, Simeonem Hannam Prophetiſſam, cœteros innominatos, ſed tamen τὴν παράκλησιν τȣ̃ Ἰσραὴλ πϱοσδεχομένȣς Luc. II. 25. (prout ſemper ſolet ſanctiſſimum Numen Latentes quosdam Pſ. 83. 2, 1. Reg. 18. v. 4. 13. & 19. 8. Rom. II. 4. ſibi quaſi rebus melioribus repoſtos ſervare) decertandum nihilominus ſtatim fuit adverſus Herodem, qui progerminantem ſurculum cum radice, hoc eſt Chriſtum cum Maria & Joſepho exſtincturus erat, ni prohiberetur, Matth. II. 8. 16. adverſus Archelaum v. 22. ac, ne quid Ægyptus quoque noceret, providendum. Poſtquam vero, electi Apoſtoli, Auditoresque convenere, & grex quantillus Chriſti ſacra amplecti cœpit, illico hoſtes, Pontifices, Seniores, Legumperiti, ſectæ cujuscunque generis, ſurgebant. Ut res facilis negotii fuiſſet, paucos atque inermes & indefen-

ſos tolli, ni Dei cura conſervaſſet. Cuncta hæc literarum monu- mentis conſignarunt S. Evangeliſtæ atque Lucas in Actis, multaque etiam ex Epiſtolis ſuppleri poſſunt. Quæ odia, quos terrores, quas fugas, quas injurias, quas cædes experta non eſt Eccleſia? Ut, ſi Johannem Apoſtolum excipias (vid. quæ hanc in rem pereruditè, ut ſolet, diſputat Admodum Rev. Dn. Præſes Patronus meus atque Præceptor ſummopere devenerandus, in *tract. de Perſecut. cap. 2. §. 3. 7. 8. pag. m. 49. ſeq.*) nemo cæterorum Apoſtolorum naturali modo vitam cum morte commutarit; Contra hæc omnia ſarta tamen, tecta, inconcuſſa & invicta Eccleſia mira & efficaciſſima Dei cura ſtetit, ſic ut de ea jure uſurpes Horatiana illa: *Duris ut ilex icta bipennibus, per damna, per cædes, ab ipſo ducit opes animumque ferro;* libr. IV. Od. 4. quæque mox ſequuntur: *Non hydra ſecto corpore firmior, vinci dolentem crevit in Herculem:* item &: *Merſes profundo, pulchrior evenit; luctere, multa proruet integrum cum laude victorem.* Namque ita diſerte *Sulpitius*, cum de perſecutione Diocletiani egiſſet: *Nullis unquam magis bellis mundus exhauſtus: neq; majore unquam triumpho vicimus, quam cum X. annorum ſtragibus vinci non potuimus.* Lib. I. Nec minus memorabilis eſt *Euſebii* locus, qui nullum Chriſtianum latere debet. Sic vero ſcribit: *Quo tempore mirandam ſupra modum alacritatem, vimque revera divinam, & ſingularem animi propenſionem eorum, qui in Chriſtum credebant, intuebamur. Simulatque enim ſententia contra priores enunciata fuit, alii aliunde ad tribunal judicis proſilierunt, ſeque Chriſtianos conſiteri, acerbitates & multiplicia tormenta pro nihilo ducere, absque metu & terrore pro religione loqui, cum gaudio denique riſu & lætitia poſtremam mortis ſententiam excipere* ὥςε ψάλλειν, καὶ ὕμνȣς, καὶ εὐχαριςίας εἰς τὸν τῶν ὅλων Θεὸν μέχρις αὐτῆς ἐσχάτης ἀναπέμπειν πνοῆς. Hiſt. Eccl. VIII. 9. Animum quoque ſimul afficit noſtrum *Sulpitius* (Vir & à ſeculi faſtu, quod crebræ ejus reprehenſiones arguunt, alieniſſimus, & ſincere Chriſtianus, ut *Salmaſius* de eo loquitur) cum inquit, *multo tunc avidius martyria glorioſis mortibus quæſita fuiſſe, quam nunc Epiſcopatus pravis ambitionibus appetuntur*, loc. ſup. cit.

Sed

Sed ne continuo tamen ac velut uno ictu Eccleſiam male fe-riati exhaurirent, iterum Deus multum quanquam diverſa ratione conſuluit. Nunc enim converſis in bellum civile, vel in recompo-nendum civilem ſtatum, vel fors voluptates, gentilium animis, Chri-ſtianorum nullam rationem illi habebant. Quo *Galbam Ottonem*, *Vitellium*, *Veſpaſianum*, *Commodum*, *Heliogabalum*, cum ſuo quem-que propoſito merito referimus. Alii ſuopte ingenio Comes, faciles, humani, ut deliciæ illæ generis humani *Titus*, Nerva item & Gor-dianus, ultro a perſequendis fidelibus abſtinuerunt. Quod, etiam cur fecerit Philippus Arabs, non eſſet quare miraremur, ſi vera foret communis illa opinio, ipſius etiam Euſebii auctoritate firmata, quod primus Rom. Imperatorum Chriſto nomen ille dederit. Quod ta-men quam ſit incertum, quamque probatu difficile, & quam graves in contrarium rationes adduci poſſint, oſtendit Magnif. Dn. Præſes Tract. de Perſecutionibus cap. IIX. num. 5. ſeqq. Fuerunt porro, qui bonis initiis uſi, indulgentia fortunæ pravisque miniſtris degenerarunt; ut *Severus*, *Valerianus*, *Gallienus*. Et fuere contra, qui meliora ſua-dentibus benignas vel tandem præbuerunt aures; qualis *Trajanus*, *Adrianus*, & *uterque Antoninus*. Fato vero ſuo functis hoſtibus Chriſtianorum intenſiſſimis, cum CONSTANTINUS rerum ſumma potiretur, pax Eccleſiæ data eſt. Reformatio autem non ſimul & ſemel facta, ſed certis ſuis gradibus fuit abſoluta. Quæ omnia apud *Euſebium*, *Sozomenum*, *Socratem*, *Ruffinum* fuſe legi poſſunt.

Neque tamen ſic quievit Diaboli furor, ſed ſucceſſu temporis bella hujusmodi TURCA atque PAPA (quorum illum *Anti-Chriſtum Orientalem*, hunc *Anti-Chriſtum Occidentalem* ſive *Anti-Chriſtum Magnum* appellare conſuevimus) inſtaurarunt. Ortus utriusque in idem ſeculum, parvo certe interpoſito annorum intervallo, quantum eſt nempe inter A. C. 607, & 622. incidit. Quomodo autem in reliquis congruant, docte inprimis atque copioſe *Hottingerus* expli-cuit *Hiſt. Eccl. capite 5. ſeculo VII. pag. 361. ſeq.* Jam conſidera, ob-ſecro, quantum tam longo tempore fuſum ſanguinis, & quam neceſſe fuerit, Eccleſiam Chriſti multis locis, vel migrare, vel contrahi, vel extingui? Et tamen Deus nuſpiam omnino partibus defuit: ac mo-rientibus ſolatia inſtillavit, preſſis animos erexit, fugientibus locum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

dedit: donec, annis volventibus, auſpicio imperioque LEOPOLDI CÆSARIS poſt ingentes jacturas pacem TURCA petere, tantumque non ſupplex fieri coactus eſt. Et reperiuntur adhuc graviſſimi quidam autores, qui plane tandem Turcam à Chriſtianis bello corporali deſtruendum exſcindendumque ſperare permittant, de quibus leg. *B. Calovius Syſt. Theol. Tom. VIII. pag. 471. ſeq.* Dein tempus illud, quo Papa Eccleſiam gravi dominatu preſſit, per quam commode ab eodem *Hottingero ex Altingo* deſtinctum eſt in Adoleſcentiam, Virilem ætatem, & Senectutem. Ac ſane Eccleſiam maximas ſub Papa experturam eſſe calamitates, Johannes in libro magnæ revelationis per illud *Væ duplex ſuum ac Væ triplex* ſignificavit. Sed non ideo tamen plane unquam vel à Turca, vel à Papa, tolli, exſtingui, aboleri Eccleſia potuit. Quin conſervata eſt à Deo quovis tempore, conſervabiturque; citiusque in mundo Turca, Papa, hoſtes alii, quin hominum univerſum genus peribit, quam Eccleſia cadet. Et quamvis Papa ſemper dominium affectarit in omnes Chriſtianos, præſertim in ÆTATE VIRILI, quod tempus Eccleſiæ infenſiſſimum fuit, nunquam tamen impetravit. Eccleſia enim tunc, cum maximas ſuſtineret afflictiones, balbutiebat linguis infantium Pſ. VIII. 6. & magno ſono Cœlum ac terram replente, ac vindictam poſcente, in ſanguine Martyrum clamabat, Ebr. XII. 24. Ac ſuper fuerunt omnibus annis teſtes veritatis multi, quorum & nomina & teſtimonia *Flacius in Catalogo & Gerhardus in Confeſſione Catholica* ſingulari ſtudio collegerunt: præſertim vero Waldenſes, juſtis cætibus & palam, atque tota Europa, ſi non & alibi, Papæ contradixerunt. Vid. *Hotting. H. E. capite ſ. ſeculo XII. p. 276. ad 298.*

VI. Propoſitio hæc: *JEſus Chriſtus heri & hodie idemque in ſecula*; pertinet ad primum genus Communicationis Idiomatum.

UT de veritate aſſerti hujus noſtri eo conſtet rectius, ut de primo genere Communicationis idiomatum ejusdemque natura & indole in anteceſſum nonnulla præmittamus, res ipſa poſcit. Etenim *in definiendo primo genere communicationis idiomatum haud per omnia noſtrates etiam Theologi conſentire videntur.* *Alii enim ſic illud*

lud

ſua deſcribunt : Primum genus eſt, quo unius naturæ proprietas in Chriſto prædicatur de altera in concreto. *Alii paulo aliter in hunc modum* : Primum genus eſt, quando id, quod uni naturæ proprium eſt, non ſoli ei naturæ, cujus proprium eſt, ſed toti perſonæ, quæ Deus ſimul & homo eſt, tribuitur, & rurſum per diſtinctivam particulam oſtenditur, ſecundum quam naturam id perſonæ competat ; verba ſunt B. HUTTERI Loco de Chriſto cap. 3. Qui deinde ſubjungit : *Diverſitatem iſtam peperere diverſæ locutiones de CHRISTO, quæ à quibusdam minus diſtincte ad hoc primum genus ſunt relatæ. Nam qui poſteriorem definitionem amplexantur, illi ad eas propoſitiones præcipue reſpiciunt, quæ ſubjecti loco habent expreſſam vocem Chriſti, Joh.* 8. 56. *1 Cor. X. 9. Act. II.* 30. *Rom. IX.* 5. *I. Pet. III.* 18. *quæ ſane propoſitiones ſingulæ & univerſæ totam Chriſti perſonam in ſubjecto definiunt ; quæ cum numero una ſit, conſtet vero ex duabus diſtinctis naturis, hinc adeo fit, ut de hac ipſa perſona Chriſti utriusque naturæ idiomata prædicentur, & ea quæ uni naturæ propria ſunt, non alteri naturæ ſeorſim, ſed toti perſonæ, quæ ſimul Deus & homo eſt, attribuuntur : alterius quidem naturæ reſpectu per communicationem idiomatum ; alterius vero ratione per proprietatem, ita quidem, ut jam divina idiomata, jam humana, de tota hac perſona enuncientur.*

Quidam videlicet Theologi Orthodoxi *prædicationem per communicationem* ſolum eam vocant ; ubi prædicatum ſubjecto non ineſt formaliter, & ſecundum id, quod per ejus nomen ſignificatur, vel ſecundum aliquam in ejus conceptu proprio ſignificatam partem, ſed καθ' ἄλλο, ſecundum aliud, quod cum eo unitum eſt, ei convenit : cujusmodi prædicationes in præſenti materia ſunt, quarum ſubjectum eſt concretum unius naturæ, prædicatum vero attributum naturæ alterius ; ut v. g. Deus natus eſt ex Virgine, paſſus, crucifixus, mortuus ; Filius hominis exſtitit ab æterno, &c. Aliæ vero prædicationes, ubi prædicatum ſubjecto ineſt (non καθ' ἄλλο, ſed) formaliter, & ſecundum id, quod per ejus nomen ſignificatur, vel ſecundum aliquam partem in ipſius ſignificatu comprehenſam, iisdem *prædicationes ſunt formales.* Cumque proinde propoſitiones hæ, v. c. Chriſtus eſt natus ex Virgine, eſt paſſus, crucifixus, mortuus ; Chriſtus ab

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

æterno extitit, &c. poſterioris ſint ordinis, in prædicationis per communicationem cenſum eas venire negant. Atque his calculum ſuum B. Huttherus l. c. adjicit. Ubi enim dixiſſet, eſſe & reperiri Theologos minime ignobiles, eosque Orthodoxos, qui ad prædicationem per communicationem pertinere cenſeant iſtas v. c. enunciationes: Chriſtus eſt antequam Abraham fieret, Joh. 8. 56. Chriſtus tentatus eſt à Judæis, &c. ſubjungit: *Cæterum cum propoſitiones hæ & conſimiles, non per communicationem aliquam unius naturæ idiomata de altera natura vel in concreto vel in abſtracto enuncient, ſed de tota perſona prædicent id, quod reſpectu unius naturæ toti perſonæ recte tribuitur, ideo in his propoſitionibus proprie loquendo non videtur eſſe communicatio idiomatum. Nam ut hæc locum obtinere poſſit, neceſſe eſt, ut in ſubjecto loco CHRISTI ponatur talis vox, quæ reſpectum habeat ad eam naturam, cujus idioma non eſt, quod prædicatum enunciat.* Eadem B. D. Hafenrefferi eſt ſententia in L. de Chriſto, ubi etiam illud prædicationum genus, quo de tota perſona Chriſti utriusque naturæ propria ſecundum alterutrius naturæ proprietatem enunciantur, primo generi communicationis idiomatum præmitti obſervat.

Quicquid vero hujus ſit, commode nihilominus has etiam propoſitiones ad primum genus communicationis referri, omnino exiſtimamus. Etenim (1) quod naturæ alterutrius idiomata ſeu attributa de concreto perſonæ Chriſti poſſunt prædicari, id non minus ex unione perſonali fluit, quam quod alterutrius naturæ idiomata de concreto alterius naturæ enunciari queunt. Nempe ſi Chriſtus foret merus homo, nec ſimul verus Deus, nulla de ipſo efferri poſſent attributa divina; ac vice verſa, ſi idem purus eſſet Deus, nulla dici de ipſo poſſent attributa humana; ſed quod utraque de illo prædicare idiomata licet, inde eſt, quod Chriſtus ſimul Deus & homo eſt, in una indiviſa perſona. (2) Quamvis in dictis prædicationibus prædicatum ſubjecto formaliter conveniat, ſi tamen habitudinem prædicati ad utramque in ſubjecto ejusque ſignificatu comprehenſam naturam accuratius aliquanto expendas, ratione unius duntaxat in conceptu ſubjecti comprehenſæ naturæ formalem eſſe apparebit, non vero ratione naturæ alterius. Et quando vice Concreti perſonæ con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

cretum alterius naturæ ſubjecti loco ponitur, oritur ſtrictiſſime dicta prædicatio per communicationem. Unde etiam (3) æque in propoſitionibus, de quibus nunc agimus, ac in cæteris, ubi ſubjectum eſt concretum naturæ, particulæ διακριτικαὶ ſ. diſtinctivæ in Scriptura S. adhibentur. Vid. Rom. IX. 5. Act. II. 30. I. Pet. IV. 1. ac alibi. Patet ergo ex jam dictis facile, quibus nixi fundamentis, & quo usq; pronunciatum noſtrum Apoſtolicum ad primum genus communicationis idiomatum referamus.

VII. Filius Dei humanam naturam aſſumens hypoſtaſin ſuam divinam vere & realiter ei communicavit.

CAlviniani plerique, ut *Zanchius Lib. 2. de natura Dei cap. I. th. 3. Martinius L. 2. de Perſona Chriſti p. 576. Maſſonius P. 2. Anatom. p. 596. Wendelin. L. I. Chriſt. Theol. c. 16. Mareſius in Synopſ. Theolog. Elenctica controverſ. 4. p. 107. & 117. ſeq.* negant, *communicationem* hypoſtaſeos divinæ carni Chriſti factam eſſe, & pro ea *ſuſtentationem Perſonalem* humanæ naturæ in & à Filio Dei ſubſtituunt. Unde & humanam naturam tantum *adjunctum τȣ λόγȣ* appellare ſolent. II. Carteſiani, ut *Wittich. Theol. Pacif. §. 226. & 229. & Alinga in Decadibus Erotem. p. 327.* neque *ſuſtentationem perſonalem* admittere volunt, ſed *ſubſtantialem* tantum quæ nihil aliud ſit, quam conſervatio ejus in ſtatu unionis, in quo eſt. Et *Burmannus L. V. Synopſ. Theolog. cap. 9. §. 3.* unionem perſonalem ponit in operatione per humanam naturam tanquam per inſtrumentum facta, eamque comparat cum nube & voce aërea quæ præſentiæ divinæ quondam Symbola fuerunt. Verum affirmativam noſtram ſententiam ſequentibus roborare poſſumus argumentis; (1) quia qualiter pueri participes fiunt carnis & ſanguinis, ita & Chriſtus. Atque pueri ita, ut caro & ſanguis in illorum hypoſtaſi ſubſiſtat. Ergo. (2) Ubi eadem perſona eſt Deus & homo, ibi datur ſubſiſtentia utrique naturæ eadem. Atqui hic. E. Per incarnationem ſuam carnis ſeu humanæ naturæ, perinde ut Pueri, particeps factus eſt Chriſtus Ebr. II. 14. nobisque per omnia ſimilis v. 17. ita

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

17. ita ut humana natura jam de eſſentia perſonæ θεανθρώπου ſit, & in identitate perſonali idem ſit eſſentialiter & Deus & homo Rom. IX. 5. Luc. 35. Perſonalitas autem illa neceſſario utriusque naturæ reſpectu eadem eſt, alteri ab æterno propria, alteri in tempore communicata. (3) Negata humanæ naturæ ſubſiſtentia communicata, neceſſario ponitur propria, & ſic perſonæ diviſio introducitur, cum abſque ſubſiſtentia nulla eſſe poſſit ſubſtantia in eſſendo completa. Nec aliquid roboris habet, quod objiciant (α) *ſubſiſtentiam eſſe incommunicabilem vi definitionis.* Nam incommunicabilis eſt alteri perſonæ, non alteri naturæ. (β) *Si character hypoſtaticus, per quem natura ſubſiſtit, communicatur, jam humanam naturam eſſe ab æterno à Patre genitam, quod abſurdum.* ℞. Neg. conſequentia. Nec enim, quocunque modo characterem habere Filii Dei hypoſtaticum, facit aliquid eſſe ab æterno, eſſe à patre cœleſti genitum, &c. ſed habere characterem ejusmodi *ex ſe, per ſe, independenter.* (γ) *Terminum Communicationis eſſe ambiguum, & cavillationi hæreticorum obnoxium, ideoque rem rectius per vocem ſuſtentationis perſonalis declarari.* Reſp. Terminus *Communicationis* uſu & explicatione Eccleſiæ jam ita celebris eſt, ut fruſtra prætexatur ambiguitas. Ambigua potius & ſuſpecta eſt vox ſuſtentationis perſonalis, quæ etiam in unionem paraſtaticam cadere poteſt. (δ) *Si naturæ humanæ communicatur perſonalitas, perſonarum dualitatem introduci.* Reſp. Non quavis ratione competens perſonalitas conſtituit aliquid in eſſe Perſonæ, ſed perſonalitas propria, ex ipſa ſubſtantiæ, quam determinat, eſſentia fluens, haud aliunde adſcita, &c. (ε) *Eſſe hanc non niſi λογομαχίαν cum de re utrinque ſit conſenſus, quod unica perſona τοῦ λόγου in duabus ſubſiſtat naturis, divina & humana.* Reſp. Si id candide profiterentur adverſarii, non eſt, quod *communicationem* ſubſiſtentiæ magis averſentur, quam *ſuſtentationis* vocem ſatis jejunam & ambiguam. Aliud tamen timere jubent, præter alias Calvinianorum hypotheſes, ſimilia eorum, ut Antwerpiæ Oceano adjacentis, gemmæ annulo infixæ, planetæ in Orbe ſuo currentis &c. quæ collegit *Fried. Petri in Neſtorianiſmo Calviniano cap. 10. p. 165.* & quæ noviſſime addunt Cartheſiani.

IIX. Sub-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

IIX. Subſiſtentia τȢ λόγȢ æque poſt incarnationem ac ante illam naturæ divinæ recte tribuitur.

IDentitas enim perſonæ divinæ perennat, Mich. V. 1. & in noſtro dicto Ebr. XIII. 8. Apoc. I. 8. 17. ſeq. ubi autem ſubſiſtentia variatur, ibidem & perſona. Et quia naturæ divinæ tribuuntur actiones etiam poſt incarnationem, Joh. III. 17. Act. XX. 28 ut & τῷ λόγῳ Joh. I. 14. Act. XIII. 19. oportet competere etiam illi ſubſiſtentiam, ſine qua non fiunt actiones. Diſſentit hac in re à nobis *Wittich. Theol. Pacif. § 226. & 228.* & in *appendice quæſt. 155. & 158*, ubi docet, divinam naturam Filii ab æterno quidem habuiſſe ſubſiſtentiam, quatenus non erat conjuncta cum alia natura: poſt incarnationem autem id dici non poſſe, adeoque jam non naturam divinam, ſed potius θεάνθρωπον recte dici ſubſiſtere. Abſurdum!

IX. Patres V. T. bonitate Dei & juſtificationis ſenſu, perinde fruiti ſunt, atque nos fruimur in N. T.

NEgari non poteſt, Patres, quamdiu extra certamina Pelagiana poſt tempora Apoſtolorum fuerunt, liberius paulo de ſalvandi modo & medio ante CHRISTUM locutos fuiſſe; teſte *Chemnitio in lib. de Juſt. & P. I. Exam. C. T. Seſſ. 6. pag. m. 194. ſeq.* edit: Francof. in octavo. *Juſtinus* CHRISTUM ſcripſit ἀπὸ μέρȢς Socrati cognitum. *Apol. 1.* Platonis διδάγματα non eſſe ἀλλότρια τȢ ΧριςȢ, ibid. Quicunque μετὰ λόγȢ vixerunt, Chriſtianos fuiſſe, ut Socratem & Heraclitum *Apol. 2. Tertullianus* animam *naturaliter Chriſtianam* vocat, & hominis poſt lapſum viribus, obſequium legi ſufficienter præſtandi, poteſtatem tribuit, *l. 2. & 4. adverſ. Marc. Clemens Alexandrinus* Philoſophiam Græcos juſtificaſſe, & non minus ad ſalutem ſuffeciſſe, quam Judæis legem Moſis, *l. 5. 6. 7. Strom.* docet. *Athanaſius* juſtificatos eſſe pluſculos ἐν τῷ φυσικῷ νόμῳ *tom. I. de ſalut: adventu Chriſti. Hieronymo* tribuitur quod

tom. 9. *in cap.* 3. *ad Galat.* ſtatuat, Cornelium accepiſſe Spiritum ſanctum per opera legis naturalis, & per eam quoque Abrahamum & Moſen juſtificatos eſſe. *Epiphanius* legem naturæ, Moſis & Chriſti diſtinguit, addens: *Vide quomodo ſalvavit Deus per multos modos, perfecta autem ſalus in Chriſto l.* 2. *cont. Hæreſ. tom.* 2. *hær.* 66. *Chryſoſt. ſine Conf. Chriſti* potuiſſe ſalvari homines ante CHRISTUM ſcribit *T.* 2. *hom.* 38. *in Matth. &c.* Modeſtiſſimum Semi & Japheti pallium his Patrum erroribus injectum, vid. in *Trifol. veræ Relig. Wilhelmi Lyſeri.* Pelagius diſtincta ſalutis media (allegans pro ſe teſtimonium Patrum) defendit, teſte *Auguſt. qui de pecc. Orig. l.* 2. *Pelag. & Cœleſt. c.* 26. *T.* 7. *Non* (inquit) *ſicut Pelagius & ejus diſcipuli tempora dividamus, dicentes primum vixiſſe juſtos homines ex natura, deinde ſub lege, tertio ſub gratia. Ex natura, ſcilicet, ab Adamo tam longa ætate, qua lex nondum erat data. Tunc enim, ajunt, duce ratione, cognoſcebatur Creator; quemadmodum eſſe vivendum ſcriptum gerebatur in cordibus, non lege literæ ſed naturæ. Verum vitiatis moribus, inquiunt, ubi cœpit non ſufficere natura jam decolor, lex ei addita eſt, qua velut lunæ fulgore priſtino, detrita rubigine videretur. Sed poſteaquam nimia, ſicut diſputat, peccandi conſuetudo prævaluit, cui ſanandæ lex parum valet, Chriſtus advenit, tanquam morbo deſperatiſſimo non per diſcipulos, ſed per ſe ipſum medicus ipſe ſubvenit. Neque gentiles* (idem Pelagius) *poſt Moſen honeſte viventes Fabricios, Regulos, Fabios, Scipiones & Camillos damnare voluit*, teſte *Auguſtin. l.* 4. *contra Julian. c.* 3. Semi Pelagiani & Maſſilienſes per naturam ſine gratiæ adjutorio multos ſalvatos volunt. *Fauſtus de lib. arbit. T.* 5. *Bibl. part.* 3. *Caſſianus collat.* 23. *c.* 12. & 14. Quam prope ad hanc ſententiam accedant Pontificii, vide apud *Gerb. in Exegeſ.* & ante citatum *D. Wilhelm. Lyſ.* Franciſcus Puccius Fidilinus in Aſſertione Catholica, aſſeruit fidem, qua priſci Patres ſalvati, naturalem & noviſſimam fuiſſe; hancque non fuiſſe conceptam ex Dei promiſſionibus. Simplicem ignorantiam mediorum nemini eſſe fraudi, cum omnis ſint in ſtatu ſalutis, antequam degenerent, & extra Eccleſiam quoque ſalutem eſſe. Photiniani, ſicut juſtificationem per fidem in Chriſtum in V. T. blaſpheme negant; ita *Schmalz. contra Frantz. Diſput.* 6.

exe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

execrabili calamo ſcribit : *Juſtificatum eſſe aliquem in V. T. fide in Mediatorem Chriſtum, anilis fabula eſt. Johan. Coccejus* item *ad ultima Moſis* §. 132. 350. & 357. *in Summa Theol. c.* 54. §. 29. *in Comment. ad Rom. c.* 8. *v.* 15. *ad Gal.* 3. *v.* 11. & alibi paſſim docet : V. T. in vindictam adorati vituli in deſerto datum eſſe Iſraelitis : omnes ſub ea Patres ſub reatu aliquo & ira conſtitutos fuiſſe, ita ut erga Deum non habuerint affectum filiis ſed ſervis dignum, conſcientiæque nondum ſatis purificatæ fuiſſe, & ſubjectos peculiari ſervituti, tum Angelis Cœli, tum Senioribus & Rectoribus ſuis, aliter atque nos in N. T. ſumus. Verum Patres V. T. æque bonitatis Dei & juſtificationis ſenſus participes fuiſſe quam nos, probamus, quia perinde ut nos per Chriſtum ſalvati ſunt, Act. XV. 11. & juſtificati Rom. IV. 11. ſeq. Remiſſio peccatorum etiam eo tempore pariter verbis emphaticis deſcribitur, nempe deletione, Pſ. 51. 8. dealbatione Jeſ. I. v. 18. rejectione poſt terga Jeſ. XXXVIII. v. 6. non-recordatione Pſ. XXV. 7. Iidem quoque firmam in Deum fidem conceperunt, Pſ. CXI. etiam tormenta ſuperantem Ebr. II. 32. ſeq. qua Deum pro Patre agnoverunt, Jeſ. LXIII, 6. c. 64. v. 8. & ſecuri fuerunt de remiſſione peccatorum Pſ. XXIV. 23. Pſ. 103. 3. per fidem in Chriſtum obtinenda, útpote qui eſt *agnus ab origine mundi mactatus*, Apoc. XIII. 8. intellige (α) in decreto divino (β) in promiſſionibus divinis (γ) in ſacrificiis (δ) qua efficaciam in V. T. Licet modi, quibus agni illius, in plenitudine temporis demum miſſi, à condito mundo tamen facta intelligitur mactatio, à diverſis diverſi allegentur.

Sunt qui vel decem heic modos adducunt : Sed qui ad quatuor principales reduci poſſe nobis videntur. Licet autem tam in V. quam in N. T. *annunciatio gratiæ* fuerit, in veteri tamen pacto minus luculenta illa erat *ob umbras & figuras*, quales erant *ſacrificia, purificationes, expiationes, ſacerdotium, unctiones*, & id genus alia, quorum dilucidatio in N. T. habetur, *partim* per diſerta teſtimonia, ipſaque Chriſti facta, Col. II. Ebr. X. *partim* etiam quoad Exegeſes luculentas, typorum & realium, utpote ſacrificiorum : & perſonalium ; qualis præcipue erat Sacerdos in V. T. *tum* extraordinarius,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

Melchiſedecus, Pſ. CX. 4. Ebr. V. 6. c. VII. 17. *tum* ordinarii, Levitici & Aaronici, de quibus Ebr. V. VII. & IX. cap.

X. Chriſtus uti olim pro omnibus hominibus ſatisfecit, ita etiam ab æterno omnes ſalvari voluit & hodie vult.

Corn. *Janſen.* Yprenſis Epiſcopus in Flandria *T. 3. Auguſt. l. 3. c. 21.* hanc theſin propugnat: *Semi Pelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum fuiſſe & ſanguinem fudiſſe.* Ei licet cenſuram ſuam cum Papa Innocentius X. tum plures Pontificii oppoſuerint, tam ambigue tamen ut plurimum & obſcure locuti deprehenduntur, ut vix colligas, eos ingenue univerſalitatem ſatisfactionis Chriſti aſſeruiſſe. *V. Oſiand. ſpecim. Janſen. p. 132. Calov. T. 7. Syſt. p. 520.* Calvinianos hic ſequuntur inprimis *Alph. à Caſtro l. 9. verb. libertas*, & Jeſuitæ *Pier. tr. de Prædeſt. c. 8. Rob. Bell. l. 2. de grat. & lib. Arbit. c. 19. Tanner. D. 2. §. 34.* ut & *Eſtius in 1. ſent. 41. p. 373. Franc. Amic. Conſentinus* adducit in eam ſententiam & *Scotum, Lychetum, Mayronium, Richardum, Ægidium, Capreolum, Baſſolum, Cordubenſem, Ferrarienſem, Aribalem, Conſalez, Suarezium &c.* Sed inprimis acriter propugnarunt in Hiſpania & Italiá juxta cum recenſitis, particularem Chriſti redemptionem, *Molina, Leſſius, Vazquez, Bonius, Maſcarenna*, quibus alii ſe oppoſuerunt. Nec *Becanus in Theol. Scholaſt.* apud *Danh. P. 2. Hod. Sp. P. p. 59.* illam univerſalitatem admittit. Et anne impugnat *Eſtius com. in Epiſt. Pauli p. 773. b. 774. a?* qui & diſtinctionem inter ſufficientiam & efficaciam meriti in *l. 3. ſent. diſt. 19. ſect. 3.* urget eodem ſenſu, quo Calviniani *Par. Iren. p. 142. Cham. T. 3. Panſtr. l. 9. c. 4. Polan. Synt. p. 1273. Mareſ. Syſt. L. X. §. 31* & alii: quibus occurrunt *Hunn. διασκέψ. p. 602. ſ. Hulſem. de art. ad ſalutem neceſſ. p. 465. Stric. de lachrym. Chriſti p. 122. Aſſelm. P. I. Synt. p. 514. Gerb. T. 2. LL. de Elect. §. 117. Muſæus de Syncret. p. 92. 93. &c.* Sunt ex Pontificiis, qui Chriſtum tantum pro Originali peccato ſatisfeciſſe aſſerunt. Id licet ſe docere negent Jeſuitæ, eos tamen lu-

culen-

culenter convincit *B. Mentz. T. I. Op. p. 45. a. 46. a. b.* Pluribus quoque illorum teſtimoniis id comprobat *Gerh. T. 3. LL. de pœnit. §. 113. Thomas Henrici* itidem id vocat putidam calumniam : ſed ita *Thom. opuſc. de Sacr. alt. c.* 1. docere, idque, ut ut eum explicare conetur, confirmare *Jac. Keller. Cath. Pabſt. T. 2. art.* 19. *c.* 2. *§.* 3. oſtendit *Hannek. Iren. Cath.-Evang. p.* 79. 80 *ſ.* Quantopere etiam Pontificii non ſine jactura veritatis inter ſe digladientur de ſatisfactione pro pœnis peccatorum, exponit *Gerh. T. 3. LL. de pœnitent. §. 123. ſ.* Satisfactionem Chriſti fuiſſe actum rigoroſæ juſtitiæ, negant plurimi Scholaſtici, ut id fatetur, eorumque loca exprimit *A. Gibb. de Burg. T. 6. Theol. Schol. p. 83. a.* Iidem negant, fuiſſe actum juſtitiæ commutativæ, quibus & plures alios addit *Gibb. l. c. p.* 110. *b.* Et Vazquezii quidem huc ſpectantia verba & rationes etiam adducit *Dorſch. P. 2. Theol. Zach. p. 158.* Apud *Dorſch. Pentad. D. 7. §. 20. p. 262.* negant *Scotus, Gabriel, Durandus, Joh. Medina* actiones & paſſiones Chriſti ex interna ſua perfectione æquivalentes & ſufficientes fuiſſe ad ſatisfaciendum iræ divinæ. *Et caterva Nominalium Theologorum confeſſum habent*, inquit *Michael de Palatio in l. 3 ſent. diſt.* 20. *diſp. 2. Chriſti mortem non explèviſſe Dei juſtitiam, ad æquilibrium, ſed ſolum expleviſſe ex magna condignitate.* Teſtatur *Tanner. P. 4. Theol. Scholaſt. p. 88.* unde eodem teſte *pag.* 100. inter Scholæ Pontificiæ etiam recentiores Theologos plurimi ſunt, qui infinitam pretioſitatem meritis Chriſti ineſſe negant. In hoc cenſu communiter Nominales & Scotiſtas cum ſuo anteſignano reponit *A. Gibb. de Burg. T. 6. Theol. Schol. p. 64. 65.* Inde & multi aſſerunt, meritum Chriſti pendere ab acceptatione Patris, quos recenſet *Hulſem. Man. A. C. p. 938. Conf. Gerh. l. 2. Conf. Cath. P. 1. p. 406. ſ. Dorſch. detect. malæ fid. Pap. p.* 1181. 1188. Verum Theologi Auguſtanæ Confeſſioni addicti perfectionem ſatisfactionis Chriſti argumentis invictis jamdudum probarunt, (1) reſpectu principii quo, Chriſtus enim mediator noſter non tantum ſecundum humanitatem, ſed etiam Deitatem appellatur, ut Act. XX. 28. Jer. XXIII. 6. Rom. V. 10. Hoſ. I. 7. Jeſ. XXXV. 4.) ut *Gerh. Exeg. L. 4. de Perſ. Chriſti §. 325. & l. 2. Conf. Cath. P. I p. 347. Scherz. Anti Bell. p. 209. Hannek C. jud. Bell. de L. C. p. 13. ſ. Dorſch. Pentad. D. 5. §. 37. 38. Brochm. T. I.*

Syſt. p. 965. (2) Reſpectu objecti realis, & primo quidem reſpectu non ſolum originalis ſed & actualis peccati, *Gerb. T.* 3. *LL. de pœnitent. §.* 119. Secundo, reſpectu non ſolum culpæ, ſed & pœnæ omnis, *ibid.* §. 120. Conf. *Dorſcb. Pentad. D.* 7. §. 33. Reſpectu objecti perſonalis, quod omnes ac ſingulos complectitur homines, *Danh. P.* 5. *Lact. Cat. p.* 752. *Mentz. T.* 1. *Op. p.* 976. *ſ.* & alibi paſſim, *Danh. P.* 2. *Hod. Sp. Calv. p.* 1618. & *Hodoſ. p.* 688. *Feurb. Synt.* 1. *P.* 2. *diſſ.* 1. *ſeq.* & *P.* 2. *D.* 1. *ſeq. Eckard. faſc. Controv. c. XV. q ?* 6. *p.* 322. *Meiſn. Anthrop. D. XIII.* §. 8. *Walth. Quadr. miſc. p.* 659. & qui nuper Wendelini argumenta diſcuſſit Summe Rev. *Dn. D. Franck*, Patronus atque Præceptor meus omni obſervantiæ cultu devenerandus *in Exercit. AntiWendel. Exercit. V. p. m.* 228. *ſ.* (3) Reſpectu actus ipſius. *Scherz. Coll. Anti-Socin. p.* 433. *ſ. Calov. Socin. profl. p.* 374. *ſ.* 384. *ſ. Muſæus de Prædeſt. decr. p.* 84. 91. *Dorſcb. Pentad. D.* 7. §. 35. Uti igitur Salvator pro omnibus mortuus eſt, ita etiam vult omnium hominum converſionem, eorumque ſalutem ſerio expetit, voluntate tamen ordinata, & cum conditione conjuncta, Matth. XXIII. 37. Nulla hic datur in Deo voluntas ſigni, & beneplaciti, uti Calviniani aſſerunt; è quibus *Beza part.* 2. *reſponſ. ad acta Colloq. Mompelg. p.* 194. animo Chriſti cultore haud digno ſcribere non veretur: *Nullum tempus fuit, vel eſt, vel erit, quo voluerit, velit aut voliturus ſit Deus ſingulorum miſereri.* Quam ſententiam etiam amplectuntur alii, quos citatos vide apud *B. Dn. D. Quenſtedt P.* 3. *Syſt. cap.* 1. *ſect.* 2. *Pol. pag.* 7. *ſ.* Argumentamur: Quos Deus invitat & vocat ad pœnitentiam, & Filius Dei ad ſe vult aggregari, eos omnes vult ſalvos fieri. Atqui Deus omnes invitat & vocat ad pœnitentiam, Act. XVII. v. 30. & Filius Dei ad ſe jubet venire omnes peccatis onuſtos, Matth. XI. v. 28. vult & prandii, hoc eſt regni cœleſtis participes fieri impios & ingratos contemptores, Luc. XIV. v. 17. 18. & ſeq. Ergo Deus Pater & Chriſtus omnes etiam nolentes, impios & ingratos contemptores, voluntate, quam vocant antecedentem, ſalvos fieri volunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

XI. Chriſtus ſolus noſter Mediator eſt, neque alio opus habemus.

POntificii non ſine honoris JEſu detrimento cum merito Chriſti merita Sanctorum conjungunt. *V. Gerh. T.* 3. *LL. de juſtif.* § 54. *p.* 305. *b.* Et variis modis Sanctis mediationem, Chriſto ſoli debitam, tribuunt. *Conf. Hunn. Pell. Ovin.* §. 146. *ſ. p.* 151. *ſ Danb. P.* 2. *Homod. Sp. Pap. p.* 47. *Gerh. L.* 2. *C. Cath. P. I. p.* 362. Ubi Pontificiorum partim loca partim & verba exhibuerunt. Quomodo iidem Mariam filii in opere redemptionis adjutricem conſtituant, docet *Glaſſ. Onomat. Meſſ. p.* 464. *ſ. Gerh. T.* 3. *LL. Theol. p.* 304. *b. &* *l.* 2. *Conf. Cath. P. I. p.* 404. 405. Idem innuunt verba Cajetani, quæ refert *Dorſch. P. I. Theol. Zach p.* 25. 26. Et quorſum alias ſpectat, dum Mariam caput ſerpentis contriviſſe dicunt, invito licet textu Hebræo, de quo vid. *Glaſſ. Phil. ſacr. p.* 3. *&* 25. *Id. Sel. Script. Moſ. p.* 327. *Saxon. Theol.* Haupt-verthäd. des Augopſt. *p.* 337. *Stegm. P. I. Chriſtol. p.* 16. 17. *Dilb. T.* 1. *diſp. Acad. X. p.* 324. *ſ. Walth. Quadrag. miſc. p.* 159. 183. *Glaſſ. Chriſt. Moſ. p.* 73. *ſ. Hackſp. P.* 1. *Not. Phil. p.* 86. *Cham. T.* 1. *Panſtr. l.* 14. *c. XI. &c.* Hinc & ad illam in ipſa quoque morte & variis calamitatibus confugiunt. *V. Engelgrav. P.* 1. *Cœl. Panth. p.* 47. *a. ſ.* ubi ex Chriſtophori de Vega Jeſuitæ Theologia Mariana non pauca comportat. Similia peti poſſunt ex *P. Antonii Spinelli Maria Deipara, Throno Dei*, e. g. quando *P.* 1. *c.* 16. *p.* 194. *b.* hunc habet titulum, quem latius deducit: *Deiparam cœli feneſtram, ſcalam atque portam, nec non radicem ſanctam eſſe, c.* 24. *p.* 322. hunc; qua ratione *Virgo Deipara tartarei Draconis caput in ſe ipſa contriverit &c.* c. 30 p. 410. hunc: *Deipara eſt mediatrix noſtra ad intercedendum &c.* Nec ſolum nos unum tantum eſſe mediatorem credimus, ſed & communis Patrum doctrina nobis adſtipulatur. Vid. *Hulſem. Man. A. C. p.* 949. *Gerh. l.* 2. *C. Cath. P. I. p.* 367. nec deſunt ex ipſis Pontificiis, qui nobiſcum affirmativam tenent ſententiam. V. *Gerh. l. c. p.* 364. *Conf. Dorſch. Thom. Conf. p.* 55. Imo ipſa divina oracula, eundem Mediatorem in V. T. fuiſſe, qui fuit in N. T. vid. Act. IV. 12. & 1 Tim. II. 5. *Unus eſt Deus & mediator inter Deum & hominem, homo JEſus Chriſtus*; in

quem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

quem locum præclare *Eſtius pag, 733. a. Obſerva*, inquit, *quod ſicut unum Deum intelligit cum excluſione plurium ; ſic & unum mediatorem Dei & hominum, qui eſt Chriſtus JEſus. Hoc igitur officium ita Chriſto proprium agnoſcere debemus ex mente Apoſtoli, ut nulli alteri tribuatur, nec homini, nec Angelo.* Quod autem Eſtius l. c. porro, Sanctos non niſi imperfecta ratione mediatores eſſe docet, id eſt, interceſſores, parum nobis arridet. Ecquid enim opus eſt imperfectis, cum perfectum habeamus mediatorem Chriſtum ? & ubi illos Scriptura aſſerit ? *Corn. à Lap. com. in* I *Tim. p.* 710. *b.* diſtinguit inter mediatores miniſteriales, mediatos & ſecundarios, qui ſint ſancti, & unum principalem, immediatum & primarium, Chriſtum. Sed hunc proponit ſolum ſcriptura, illos ignorat. Et alias conſtat, plus in praxi Sanctis tribuere Pontificios, quam verbis ubique profiteri audeant. *Hagerus* Jeſuita diſtinguit inter proprie & improprie dictos mediatores; Sanctos non eſſe proprie dictos ajens. Sed huic occurrit *Hulſem. man. A. C. p.* 937. *Conf. Gerb. l.* 2. *Conf. Cath. P. I. p.* 361. 362. 369. *Danh. P.* 2. *Hod. ſp. Pap. p.* 64. 65. *&c.* Et ſi ſanctorum mediatio neceſſaria, Chriſtus fuit ſemiplenus redemptor. V. *Danh. P.* 2. *Hod. ſp. Pap. p.* 62. 63. *Hulſem. Man. A. C. p.* 1049. *ſ. Gerb. l.* 2. *C* Cath. *P I. pag.* 367.-368.

XII. JEſus Chriſtus eſt immutabilis.

IMmutabilitas *eſſentiæ divinæ* (uti eam deſcribit *B. Mullerus Theol. Scholaſt.* cap. V. §. 51. p. 47.) *eſt modus, quo Deus ſervat ſuum eſſe, citra ullam potentiam non eſſendi, aut converſionis in aliam eſſentiam, aut incrementi vel decrementi, aut alterationis & motus.* Mutabile autem eſt ἐκ τῶν πολυμερῶς λεγομένων. Siquidem aliquid mutabile dici poteſt vel in ordine ad potentiam intrinſecam, quæ eſt in ipſa, vel in ordine ad potentiam extrinſecam, quæ in alio. Quo ſenſu etiam immutabile dici poteſt vel ratione potentiæ intrinſecæ, quod de ſe & in ſe non habet principia ad corruptionem aut mutationem vergentia, vel ratione potentiæ extrinſecæ, quod ab alio exteriori mutari aut corrumpi poteſt ; Secundo mutabile quid dici poteſt, vel ratione *eſſentiæ*, cujus eſſe vel incipere vel deſinere poteſt, vel ratione accidentium & circumſtantium, quorum ratione perfici, aut ſecundum magis & minus &c. alterari & variari poteſt. Ita

etiam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

etiam immutabile vel ratione eſſentiæ intelligi poteſt, vel ratione accidentium ; & utroque modo Chriſtus eſt immutabilis. Præclare hanc in rem *Auguſtinus l. 5. de Trinit. c. 2. Aliæ*, inquit, *ſubſtantiæ omnes capiunt accidentia, quibus in eis conſtat vel magna vel quantulacunque mutatio ; In Deo autem aliquid hujusmodi accidere non poteſt, & ideo ſola ſubſtantia vel eſſentia, quæ Deus eſt, incommutabilis eſt.* Ac ut rem paucis comprehendamus, Chriſtus Servator ſanctiſſimus, quia verus Deus, immutabilis eſt ratione qualitatis, quia inalterabilis eſt, ratione loci, quia immenſus eſt, ratione operationis, quia eodem tenore ſemper operatur. Aſſerimus autem hanc immutabilitatem (1) ex ipſo limpidiſſimo S. literarum fonte, Exod. III. 7. Pſ. CII. 27. Ebr. IV. 13. Mal. III. 6. dicit Dominus : *Ego Jehovah, & non mutor* ; vel uti quidem in fonte exſtat, *non muto* לא שניתי, ſed res eodem recidit. Perinde enim eſt, ac ſi dixisſet, non n uto ſententiam, decretum, *voluntatem meam.* Conf. Rom. XI. 29. Jac. I. 17. Sic David Pſ. 111. 29. *Tu idem ipſe es*, ואתא הוא, Quod Paulus in N. T. Heb. I. 12. ita eloquitur, σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ, *Tu autem idem es*, h. e. immutabilis & æternus es ; Opponit enim ibi Divus gentium Doctor Dei proprietatem creaturarum vanitati & mutationi, cui ſunt obnoxiæ. (2) Probari imutabilitas illa poteſt argumentis ex ipſa ratione deſumptis, 1. Ex actualitate Dei, 2. Ex ſumma perfectione, 3. Ex independentia & prioritate, 4 Ex remotione ſpecierum mutationis. Neque enim in Chriſtum ratione divinæ naturæ cadit mutatio, ſeu ratione exiſtentiæ, ſeu ratione accidentis, ſeu ratione loci, ſeu ratione cognitionis, ſeu ratione decreti ac voluntatis. Vid. *B. D. Clotzii Theol. Natural. diſp. X. pag. 557. ſeq. Kõnig. Vind. p. 580. Gerh. exeg. L. 2. n. 150. Meiſn. anthr. d. 16. q. 1. n.* 47.

Hanc immutabilitatem divinam deſtruere conati ſunt olim *Secundinus*, Manichæi diſcipulus, qui *Deum dixit eſſe mutabilem*, de quo *Auguſt. tom. 6. col. 129.* Cui asſentitur *Vorſtius l. de Deo & attrib.* aſſerens : *aliquam mutationis ſpeciem eatenus in Deo locum habere poſſe, quatenus ipſe quasdam actiones immanentes exercet, juxta liberam voluntatem. Et voluntatem Dei eſſe principium cujusdam mutabilitatis in Deo.* Quemadmodum & *in Lib. cui titulus, Chriſtiana & modeſta reſponſio p.* 15. ad quæſitum : *Eſtne Deus immutabilis,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

bilis, ut eſſentia, ſic voluntate? reſpondet: *hic non eſt æqualiter.* Quibus verbis id vult, quod *libro de Deo ejusque attributis p.* 112. dixerat: *Non ſatis circumſpecte loqui, qui Deum ut eſſentia, ſic etiam voluntate prorſus immutabilem eſſe affirmant.* Sed & *Piſcator in notis ad Vorſtii tract. de Deo* eadem chorda oberrat, dum aſſerit *à nobis immutabilitatem Dei labefactari, quod defendimus, Deum non velle abſolute & ſimpliciter hominum ſalutem, ſed certa conditione ac certis mediis: quia*, inquit, *ſi Deus vult quædam facere ſub conditione, ſequitur, Deum illa tum demum velle, cum conditio impletur, & deſinere velle, cum conditio præſtari deſinit, ac proinde voluntatem Dei eſſe mutabilem.* Conſentit cum illo *Johannes Heinius* ProfeſſorMarpurgenſis, qui in *Exercit.* 1. §. 139. ſcribit: *Figmento voluntatis antecedentis & conditionatæ Deus independens, ſimpliciſſimus, immutabilis, omnipotens, omniſcius, ſapientiſſimus, beatiſſimus & perfectiſſimus transmutatur in hominem dependentem, compoſitioni, mutationi, impotentiæ, ignorantiæ, imprudentiæ, inſipientiæ, ſtultitiæ, cæterisque affectibus humanis vitiisque obnoxium.* Vid. Excellent. Dn. Præſes in *Pſeudadelphia Heiniana.* Verum inanem ſibi ſumunt operam Piſcator & Heinius. Tum demum enim mutabilitas divinæ voluntatis locum habet, quando Deus alio modo quicquam vult, quam illud prius voluit. Cum vero nos aſſerimus, Deum velle omnium hominum ſalutem ſub conditione mediorum, non dicimus, Deum voluntate eſſe mutabilem, aliter nunc, aliter tunc velle, ſed quod eadem prorſus ratione eam velit, ſi nimirum homines oblata ſalutis media non reſpuant. Quod ſive fiat, ſive intermittatur à mortalibus, permanet tamen illa conſtantiſſima DEI voluntas, qua omnium hominum ſalutem ſub certa mediorum conditione expetit.

Dubium autem forſan hic aliquis moveret, quomodo *Chriſtus immutabilis ſit dicendus, cum per creationem* (utpote cujus cauſa efficiens cum Patre Act. IV. 24. Heb. I. 2. Spiritu S. Job. XXXIII. 4. Pſ. CIV. 30. & ipſe eſt, Pſ. XXXIII. 6. 1. Cor. VIII. 6.) *mutationi fuit obnoxius. Per creationem enim cepit eſſe cauſa in actu, & Creator actu, cum antea non fuisſet.* Reſp. Actiones tranſeuntes in Deo nullam faciunt mutationem. Quia actio tranſiens non eſt IN agente, ſed AB illo, neque introducit mutationem in illo, quia non recipitur

pitur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

pitur in illo, ſed ſolum in effectu producto : Ideoque etſi Chriſtus creet in tempore, illa tamen creatio non facit in Chriſto mutationem, ſed in creatura per illam producta. Unde etiam Creatio Deum non intrinſice denominat, ſed extrinſice : cujusmodi denominatio & prædicatio ſine ulla ſubjecti mutatione fieri poſſe conſtat.

Sed pergeret aliquis hanc doctrinam impugnando alio argumento ex Incarnatione Chriſti deſumpto, qua Chriſtus, dum cepit homo fieri, etiam mutatus eſt. Urſit hoc argumentum jam olim Celſus, famoſus ille Hadriani tempore Philoſophus Epicureus, idemque acerrimus Chriſtianiſmi inſectator, qui (teſte *Origene contra Celſum Lib. 4. p. 169. ſeq.* edit. Cantabrig. quam Guilielmus Spencerus anno 1658. cum annotationibus edidit) magno verborum apparatu hæc affert. *Repetamus*, inquit, *altius ſermonem argumentis pluribus. Dicetur autem novi nihil, ſed jamdudum confeſſa omnibus. Deus eſt bonus, pulcher, felix, & pulcherrima optimaque ſpecie : is ſi deſcendat ad homines, ut mutetur opus eſt ; mutabitur autem è bono in malum, è pulchro in turpem, è felice in infelicem, ex optimo in nequiſſimum. Quis ſic ſe mutatum cuperet ? Certe mutatio hæc & transformatio cadit in hominem mortalem : immortali vero ſemper eodem modo ſe habere convenit. Ergo Deus nunquam talem mutationem reciperet.* Adhæc ſatis, inquit Origenes, reſponſum erit, “(ut mihi videtur) ſi dixero, quomodo in ſacris ſcripturis accipiatur“ deſcendens Dei ad homines ; ad quem nulla mutatione opus eſt,“ ut Celſus putat nos opinari, nec verſione in malum è bono, aut è“ pulchro in turpem, aut è felici in infelicem, aut ex optimo in nequiſ-“ ſimum. Immutabilis enim in ſua eſſentia manens, condeſcendit“ rebus humanis diſpenſatione & providentia. Nos certe è ſacris li-“ teris Deum immutabilem eſſe diſcimus, ubi legitur, *Tu autem idem*“ *ipſe es* ; & *Non immutor*. Epicuri vero Dii ex atomis compoſiti,“ & proinde in easdem diſſolubiles, habent, quod agant, dum illas“ atomos, quæ corporibus corruptionem efficiunt, excutiant. Nec“ ſecus Stoicorum Deus, utpote corpus, interdum mens eſt, quæ to-“ tam poſſidet ſubſtantiam, cum ſit conflagratio ; interdum vero ex“ parte ipſius ſubſtantiæ generatur, cum ſit mundi ordinatio : iſti“ enim non potuerunt quidem clare Dei naturam intelligere, quod“

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

"ſit omnino incorruptibili͏s, ſimplex, nec compoſitus, nec diviſibilis.
"Id autem, quod ad homines deſcendit, erat in forma Dei, & pro-
"pter amorem humani generis ſe ipſum exinanivit, ut poſſet concipi
"ab hominibus, absque ulla tamen mutatione boni in malum, *Pecca-*
"*tum enim non fecit* : ſicut nec ex honeſto in turpe mutatus eſt ; *Pec-*
"*catum enim non cognovit* : nec ex felicitate decidit in miſeriam, ſed
"quamvis humiliatus, nihilominus beatus erat, etiam cum maxime
"propter utilitatem humani generis ſe demitteret. Nulla item mu-
"tatio fuit ex optimo in nequiſſimum : qui enim nequiſſimum eſſe
"poteſt, quod eſt amans hominum atque beneficium ? Vel animad-
"verte, ne dicas, quod medicus quoque multa vel moleſta inſpectans,
"vel contrectans inſuavia, ut ægrotos ſanitati reſtituat, ex bono in
"malum, ex honeſtate in turpitudinem, è felicitate in miſeriam pro-
"labitur : quamvis medicus inſpectans moleſta, & contrectans in-
"jucunda, non adeo tutus eſt, quin poſſit in eadem incidere : ani-
"marum vero noſtrarum ſauciarum curator per verbum Dei, quod
"ipſe eſt, nihil malorum in ſe admittere poterat. Quod ſi verbum
"Deus immortalis, quia corpus mortale animamque humanam aſ-
"ſumpſerit, Celſo id circo immutari videatur ; diſcat verbum ma-
"nere verbum ſua ſubſtantia, nec pati eorum quicquam, quæ corpus
"aut anima patitur ; condeſcendere tamen interdum non valentibus
"claritatem ac ſplendorem Deitatis obtueri, & velut carnem loqui
"corporaliter, tantiſper dum auditor paulatim per verbum factus
"ſublimior, poſſet etiam illam priſtinam (ut ita nominem) formam
"ejus contemplari. Sunt namque variæ velut formæ verbi, prout
"unicuique eorum, qui ad ſcientiam inſtituti ſunt, ſe conſpiciendum
"præbet, proportione quadam ad ſic inſtitutum habita, ſive magis
"minusve profecerit, aut à limine virtutem ſalutavit, aut jam intro-
"greſſus eſt ejus penetralia. Quapropter longe aliter quam ut Cel-
"ſo videtur & ſimilibus, transformatus eſt Deus noſter, & conſcenſo
"excelſo monte, oſtendit ſuam formam & ipſâ multo præſtantiorem
"quam in imo manentes, atque ii qui ad faſtigium cum ſequi mini-
"me valuerunt, inſpexere : humilis enim turba non habebat oculos
"capaces ſpectaculi divinæ & glorioſæ metamorphoſeos ; imo vix
"talem capiebant, qualis tum inter eos verſabatur, ita ut qui nihil ſu-
pra

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

pra præſentem ſpeciem in eo ſuſpiciebant, dicerent : *Vidimus eum,* “
& non habebat ſpeciem nec pulchritudinem ; ſed ſpecies ejus erat in “
honora, inferior cæteris filiis hominum. Hæc contra Celſi ſuſpicionem “
dixiſſe ſufficiat, non intelligentis mutationes transformationesve, “
quæ de JEſu produntur in hiſtoriis, nec mortalitatem aut immorta- “
litatem illius. Annon hæc, præſertim intellecta ut debent intelli- “
gi, multo plus gravitatis habent, quam quæ feruntur de Baccho “
circumvento à Titanibus, delapſoque à Jovis ſolio, & dilacerato “
ab eis, ac rurſum compoſitis membris redivivo cœlum ſcandente ? “
Aut Græcis licet iſta, ut figurate dicta, interpretari de anima, nobis “
vero præcluſus eſt aditus ad convenientem & conſonam enarrati- “
onem ſacræ Scripturæ per animas puras afflatu divino proditæ ? “
Itaque nullo modo Celſus novit mentem noſtrarum literarum, & “
proinde, non quod illæ dicunt, calumniatur ; ſed quod ipſe inde “
excerpit : qui, ſi intellexiſſet, quid animam in futura vita æterna “
maneat, & quid ſentiendum ſit de ipſius ſubſtantia & origine, non “
ita irriſiſſet immortalem ob aſſumptum mortale corpus, idque non “
juxta Platonis opinionem de migratione animarum in aliud corpus “
ex alio, ſed juxta ſublimiorem quandam contemplationem : vi- “
diſſetque unam è multis inſignem Dei benificentiam, deſcenſum “
ad convertendas (ut Scriptura S. loquitur) oves perditas domus “
Iſraeliticæ, & errore delatas ab illis montibus, ad quas paſtor in “
quibusdam parabolis deſcendiſſe dicitur, relictis in montibus reli- “
quis, quæ minus erraſſent. Sed pergit Celſus porro ita loqui : “
Aut revera mutatur Deus, ſicut iſti ajunt, in corpus mortale, id quod jam oſtendimus impoſſibile ; aut ipſe quidem non mutatur, ſed facit ut hoc putent, qui vident, & imponit eis mendacio : porro deceptio & mendacium alias ſemper malæ res, tunc tantum ſunt uſui, quando pro remedio ſunt amicis curandis morbo vitiove laborantibus, aut inſanientibus ; aut ſi quando apud inimicos per ea vitamus periculum. At Deo nec vitioſus aut inſanus quisquam amicus eſt, & timet neminem, ut impoſtura opus habeat ad evadendum periculum.
Ad hoc, verba ſunt Originis iterum, reſponderi poteſt diſtinguen- “
do verbi Dei naturam, quod Deus eſt, & JEſu animam. De verbi “
Dei natura dicimus, quod quemadmodum alimentorum qualitas, “

"ut accommodetur infantis naturæ, in lac nutricis vertitur, & me-
"dicus ægroto ſanando medicamenta ex uſu ipſius temperat, habito
"reſpectu ejus virium : ita Deus pro ratione animæ humanæ verbi
"ſui virtutem hominibus attemperat, reſpectu ſingulorum in vari-
"ando habito : ut aliis fiat *lac rationale dolum neſciens* (ſicut S.
"Scriptura nominat) aliis infirmioribus tanquam *olus* , aliis perfe-
"ctioribus miniſtretur ut *cibus ſolidus*. Nec tamen ſuam naturam
"mentitur verbum, dum cuique alimentum fit pro captu ipſius, nec
"imponit hominibus mendacio. Quia ſi de anima JEſu intelligit,
"mutata per adventum in corpus, quam mutationem dicat, interro-
"gabimus. Nam ſi ſubſtantiæ, non concedimus, non ſolum de illa,
"ſed ne de alia quidem ulla rationali anima : ſin hoc dicit, quod af-
"ficiatur à corpore, ut ei mixta, & à loco, in quem devenit ; quid
"abſurdi ob hoc contingit verbo deſcendenti ad ſervandum adama-
"tum genus hominum ? Cum ante ejus adventum nemo eorum,
"qui opem medicam polliciti ſunt, tantum unquam virium habuit,
"quantum hæc anima ex rebus geſtis demonſtravit, quæ ultro noſtri
"generis gratia ad humanam ſortem deſcenderet. Hæc cum ita
"ſint, ſæpe nobis inculcat divinum verbum in multis S. S. locis, ex
"quibus unum Pauli dictum in præſens apponere ſufficiet, Philipp. II.
"5. Alii igitur Celſo concedant, non fuiſſe illum mutatum, ſed illu-
"ſiſſe oculis videntium : nos, quibus perſuaſiſſimum eſt, non puta-
"tive, ſed vere manifeſteque adveniſſe JEſum ad homines, alieni ſu-
"mus ab objecto per Celſum crimine. Huc usque Origenes. Conf.
quæ ulterius habet autor ipſe pag. 70. & 172. l. c.

Nos tribus verbis ad Celſi Sophiſticationem dicimus, ex falſo præſuppoſito argutias ejus promanare, quaſi videlicet Chriſtiani crederent, Deum æternum ita factum eſſe hominem in tempore, ut divina ſubſtantia eſſentialiter transformata fuerit in ſubſtantiam humanam, unaque ſic natura οὐσιωδῶς abierit in aliam plane diverſam, infinita in finitam, immenſa in circumſcriptam, &c. Quod dogma nunquam in mentem nobis venit ; qui id ſolum ſtatuimus, Deum æternum ac infinitum, ſalva manente ſua illa infinita eſſentia, tempore divinitus conſtituto naturam humanam finitam in infinitam

ſuam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

ſuam hypoſtaſin ſeu ſubſiſtentiam aſſumpſiſſe, atque hac ratione Deum ſine ulla ſui mutatione & abſolutæ ſuæ perfectionis decremento factum eſſe hominem.

Reſtat ultimo loco, ut USUS MORALES à nobis adjiciantur. Sit ergo

I. USUS DIDASCALICUS,

I. JEſus Chriſtus eſt θεάνθρωπος.

II. JEſus Chriſtus eſt admirabilis tam ratione Perſonæ, quam ratione officii & operum.

III. Chriſtus eſt Immutabilis, qui nobis non ſolum ea, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, revelavit, ſed & adhuc omne ſalutare DEI conſilium deſuper ſuppeditat, inque doctrina fidei nos informat; qui non ſolum à mundi initio omnia nocifera hoſtium noſtrorum conſilia diſſipavit, ſed etiam hodie contra omnium tam temporalium quam ſpiritualium hoſtium inſultus Eccleſiam ſuam defendit.

IV Chriſtus & æternus eſt, & in tempore cepit.

II. USUS ELENCTICUS,

I. Contra omnes hæreticos, tam antiquos quam novos, qui humanitatem ac divinitatem Chriſti impugnarunt.

II. Contra Calvinianos, qui aſſerunt duplicem in Deo voluntatem dari, alteram ſigni, alteram beneplaciti.

III. Contra nonnullos Calvinianos & Pontificios, nec non Puccianos, & veteres Tatiani ſectatores, qui vitam æternam extra Chriſtum exiſtere, & Eduardum Baronem Herbertum de Cherburi, qui ductu ſolius luminis naturæ ſive principiorum rationis hominem ad ſalutem æternam pertingere poſſe aſſeruit.

IV. Contra Socinianos, qui Regnum Chriſti deſiturum contendunt.

V. Nullum aliud fidei principium agnoſcendum præter Scripturam Sacram, contra Pontificios jam revelationem, jam rationem, jam traditiones, decreta Conciliorum atque Canonum, Jus Canonicum ſententiamque Patrum urgentes.

VI. Chri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

VI. Chriſtus ſolus noſter Mediator eſt, contra eosdem Pontificios, Chriſto in officio mediatorio Sanctos adjungentes.

III. USUS PÆDEUTICUS.

I. Sis ergo in bono immutabilis, quoniam Chriſtus erga te animum immutabilem gerit.

II. Doctrinam Chriſti, quæ verbum ipſius eſt, ſemper tene, nec cum alia permuta, utpote quæ nec juxta ſe patitur aliam, nec ante ſe habuit aliam, nec poſt ſe habebit aliam.

III. Hunc JEſum Chriſtum vera fide amplectere, nec alium licet per revelationes jactatum, hoc nomine dignum judica.

IV. Agnoſce amorem Chriſti, qui uti omnia olim creavit, ita adhuc immutabilis eſt in conſervatione.

IV. USUS CONSOLATORIUS.

I. Quamvis ſub onere peccatorum gemis, noli deſperare, Chriſtus JEſus hic eſt, qui pro tuis peccatis ſatisfecit.

II. Si variis premeris tentationibus, Chriſtus non tantum in verbo ſuo conſilium dedit, ſed & in præſenti applicare vult.

III. Sint in hoc mundo inquieta, inconſtantia, caduca, jam jamque ruinam minantia, lætare, ſupereſt Regnum Chriſti nunquam finiendum, in quod omnes fideles introducendi erunt, ſine fine cantantes

Ἀλληλούϊα, ἡ σωτηρία καὶ ἡ δόξα καὶ ἡ τιμὴ καὶ ἡ δύναμις Κυρίῳ τῷ Θεῷ ἡμῶν, Ἀμήν.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-332 4° 1618